



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs XIX. De Usuris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



## TITVLVS XIX.

## De Usuris

**U**rto & Rapinæ adeo similis est Usura, ut non solum tanquam partus avaritiæ, ac turpe lucrum: sed tanquam Rapina quædam reprobetur, eamque exercentes, Furum instar & Raptorum, obligentur ad restitutionem.

## ARTICVLVS I.

## De Usura Lucratoria.

## SUMMARIUM.

1. Usura alia Lucratoria, alia Moratoria, vel Compensatoria est.
2. Lucratoria est, quod vi mutui ultra sortem exigitur.
3. Si id pretio æstimabile,
4. Et aliunde indebitum sit.
5. Usura alia Realis, alia Mentalis:
6. Pactum usurarium vel Expressum, vel Tacitum est.
7. Usura Lucratoria Ecclesiasticò,
8. Divinò utriusque Testamenti,
9. Et Naturali etiam jure illicita sunt.
10. Neque pro rei mutuo data usu:
11. Neque pro utilitate ex ea proveniente:
12. Neque pro ejus ad tempus carentia exigi aliquid potest.
13. Leges Civiles, usuram permittentes, sunt correctæ.
14. Discrimen inter pecunie & vasorum ad usum concessionem.

15. Usuras solvens injuriam patitur ab exigente.

**E**t autem usura sic dicta à rei *Usu*: 1. & aliquando contractum, imò tam actum voluntatis internum, quam externam conventionem de lucro usurario, sive ultra sortem percipiendi: aliquando ipsum hujusmodi lucrum denotat, Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 303. n. 1.* Quò posteriori sensu accepta usura alia Lucratoria, alia Compensatoria, & alia Moratoria vocatur.

Lucratoria, sive in sensu huius *Rubricæ*, & propriè accepta Usura, à DD. ferè omnibus recepta definitione, est Lucrum immediatè ex mutuo proveniens, sive pecunia, aut quæcunque alia res temporalis pretio æstimabilis, & aliunde indebita, quam creditor ultra sortem vi solius mutui alteri dati exigit, & quasi ex iustitia debitam accipit, *can. Plerique 3. & canon. fin. 14. q. 3.* Unde

Patet primò, Usurarium non esse, qui pro mutuo sive in ejus compensationem exigit orationem, sacrificium Missæ, aut accipit beneficium Ecclesiasticum; cum enim hæc sint aliquid spirituale vel spirituali annexum, ea vi mutui exigendò Simonia potius committitur, quam Usura juxta dicta *Tit. 3. n. 7.* Secundo, qui honorem, obsequium aut etiam donù à mutuario liberè & ex mera liberalitate aut gratitudine sibi delatù aut oblatù admittit; quia sic illanon quasi ex obligatione

F f 2

&amp; vi mu-

& vi. mutui debita exiguntur aut accipiuntur, Laiman *Lib. 3. Tract. 4. cap. 16. n. 2.*  
 Tertiò, qui à mutuatario accipit & exigit aliquid aliunde debitum, vg. ut depositum reddat, injustè ablata restituat, ab injustà latione desistat; quia hæc exigens vi mutui dati nullum novum onus mutuatario imponit: sed solummodo petit, ut præstet id, quod sine injuria negare non potest, Molina *Tract. 2. cit. disp. 309. pr.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 20. n. 18.*  
 Quartò, qui, rem suam vendendò vel locandò, justò majus pretium aut mercedem exigit ab emptore vel conductore; quia hujusmodi pretii aut mercedis excessus, etsi lucrum injustum sit, tamen non provenit ex mutuo, sed ex iniqua venditione vel locatione, Lessius *l. cit. n. 20.*

Patet secundò, usurarium contrà esse Primò, qui à mutuatario vi contractus mutui exigit; ut operas suas mutuanti potius, quàm alteri locet: uti &, qui ab eodem exigit obsequium aut servitium aliunde indebitum, intercessionem apud Principem, vel honorem aliquem externum deferendum; quia hæc præstandi onus & obligatio pretiò æstimabilis; ac proinde vi solius mutui dati imponi nequit sine usuraria iniquitate, Laiman *cit. n. 2.* & Palao *Tract. 32. disp. 4. p. 11. n. 2.*  
 Secundò, qui ab eodè eodè titulò exigit remissionem injuriæ illatæ, vg. in honore; ut ad recantationem aut famæ restitutionem non obligetur: neque teneatur actione injuriarum; quia eum obligaret ad aliquid pretiò æstimabile, scilicet remittendum jus exigendi debitam satisfactionem, quæ pretiò æstimari potest, *cit.*  
 Laiman *n. 2.* & Palao *p. 10. n. 3.* Tertiò, qui à depositario ex parte aliquid exigit pro jure utendi pecuniâ, apud ipsum depositâ; quia tali pactò contrahitur mutuum, *l. Certi 9. §. fin. ff. de Rebus creditis;* nam pecuniâ, frumentò aliâve re usu

consumptibili utendi jus in alterum transiens ferens transfert eorum dominium, à jure iis utendi indistinctum; adeoque pro translato in eum jure utendi aliquid exigens id exigit ultra sortem, in quo sita est usura, Laiman *cit. cap. 16. n. 6.* sic declarata

Usura celebri partitione alia Realis est, & alia Mentalis. Illa committitur, quando mutuum datur, interveniente pacto seu conventionione, lucrum aliquod ultra sortem vg. ultra centum creditos florenos post annum decem solvendi. Ista verò non, ut videri potest, committitur solò animò & voluntate lucrum ex mutuo capiendi; hujusmodi enim animi propositum & voluntas usura Interna melius, quàm Mentalis dicitur, ut *Tit. 3. n. 7.* dictum est de Simonia: sed, quando nullò pacto vel conventionione interveniente ex mutuo speratur & intenditur lucrum, non gratuitò, sed ex obligatione, & quasi ex mutuo debitum & offerendum, Navarrus *Comment. de Usuria n. 12. & cit. Laiman n. 4. in fine.* Pactum autem usurarium, aliquando Expressum, vg. cum mutuo dans centum cum mutuatario discretè pacificatur, & convenit de decem cum eadem summa tota post annum restituendis: aliquando verò Tacitum est, vg. cum mercator ob dilationem solutionis vg. ultra annum carius vg. centum vendit merces, quarum pretium justum summum sunt 90. vel 95. aut, cum emptor ob anticipatam solutionem merces emit minoris, quàm aliàs valeret, ut infra pluribus declarabitur.

Porro Usuras merè Lucratorias illicitas esse, res est adeò explorata; ut earum exercitium peccaminosum esse, pertinaciter negare sine hæreseos labe nemo possit post decretum Concilii Viennensis, relatū *Clement. Unica §. fin. Sylvester V. Hæresis 1. n. 7. & Farinac. Prax. Criminal. q. 178. n. 85.*  
 Dubium

Dubium tamen & controversia quædam est de Jure, quod eas prohibita sunt. Et, Ecclesiasticè quidem eas prohibitas, omnino liquet ex *can. Apostol. 43.* Concilii Nicæni *cap. 18.* & sententiis SS. Ecclesiæ DD. Augustini Hieronymi & Ambrosio, *can. 1. can. Quoniam 2. disp. 37. can. 1. Sc. 9. 14.* relatis, ex & omnibus Decretis, Constitutionibus ac Rescriptis, subjectis *presenti Rubrica*, non solum Gregorianæ, sed Bonifacianæ quoque & Clementinæ Compilationis.

An Jure etiam Divino & Naturali, dubitandi ratio primò intuitu non levis est. De illo quidem sive Divino; quòd in Novo Testamento apertè approbati videantur *Matth. cap. 25. v. 27.* & *Lucæ cap. 19. v. 23.* quòd locò paterfamilias servum pigrum reprehendens, *Quare, inquit, non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum usuris exegissem illam?* In Veteri autem, licet exigi prohiberentur à fratribus seu filiis Israël, respectu Gentium tamen permittebantur *Deuteron. cap. 23. v. 19. Non foverabis fratri tuo ad usuram pecuniam Sc. sed alieno:* imò præcepta videntur *Deuteron. cap. 23. v. 10. Foverabis Gentibus multis.* De isto autem sive Naturali; quòd, si usuræ hoc etiam Jure essent illicitæ, nunquam approbatæ fuissent LL. Civilibus *ff. & C. de Usuris;* cum incredibile omnino sit, earum Conditores à Naturali Jure, cujus ductu præcipuè regebantur, tam enormiter aberrasse.

Earum honestati non leve patrociniū præstat partim; quòd lucrum accipi & exigi etiam valeat pro concesso usu vasorum aureorum & argenteorum. Cur non etiam pro usu nummorum? partim, quòd usuras accipiens nemini faciat injuriam; cum promittantur & solvantur à mutuario liberè consentiente: scientem autem & volentem nec injuriam pati, né-

que dolò circumveniri, pateat ex *l. Cum donationis 34. C. de Transact. Reg. Nemo 145. ff. & Reg. Scienti 28. in 6.*

Nihilominus, Usuras Divinò quoque ac Naturali Jure vetitas, D. Thomæ 2. 2. q. 78. art. 1. & cæterorum DD. Catholicorum constans & certa sententia est. Imò de Divino post Concilium Nicenum, *can. Quoniam cit.* relatum, id disertè perhibens, idè apertè tradunt Alexander III. *c. Quia in omnibus 3. c. Super eo 4. Urbanus III. c. Consuluit 10. & Innocentius III. c. Quam perniciosum 11. hic:* patetque ex ejus Juris claris textibus, *Vidi iniquitatem in civitate: non defecit in plateis ejus usura & dolus* *Psalm. 54. v. 10. & 12. Quod si genuerit filium, ad usuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vivet? Non vivet. Ezech. cap. 18. v. 13. Mutuum date, nihil inde sperantes, Lucæ cap. 6. v. 35.* cujus sacri textus, licet prioribus verbis consilium duntaxat; posterioribus tamen præceptum contineri, patet ex *c. Consuluit, c. Quam cit.* & decisione Concilii Lateranensis sub Leone X. *Sess. 10. paulò post pr. sicut illis. Vovete, & reddite Domino, Psalm. 75. v. 12. S. Thomas cit. art. 1. ad 4.*

Neque cum his pugnant verba Servatoris, adducta pro usurarum honestate; quia Imprimis nomine *Usuræ* iis intelligi potest lucrum proveniens ex negotiatione, vg. cambio vel societate, *Molina Tract. 2. de l. & l. disp. 304. n. 18.* Deinde; quia iis usuræ accipiuntur metaphoricè pro augmento meritorum, quòd talentorum aliorumque naturalium & supernaturalium donorum usu non minus sollicitè procurare eà Parabolâ Christus docet filios Lucis, quàm filii hujus Seculi quærunt lucrum temporale, ut notant *cit. S. Thomas ad 1. & Molina n. 18.*

Neque textus ex Deuteronomio relati

lati, eum; quod Judæis usuras cum Gentibus exercere permillum fuerit, tanquam minus malum ad evitandum majus: quod Judæorum avara gens facile incurrisset, eas à fratribus quærendo: sicut alicubi inter Christianos lupanaria ad graviora carnis flagitia avertenda tolerantur, ut eum locum explicat *cit.* Doctor Angelicus *ad 2.* tum verò; quod juxta expositionem S. Ambrosii *can. fin. 14. q. 4.* Judæi constituti sint domini Regionum & omnium facultatum, quas illæ Gentes possidebant. Unde eas, sicut armis, sic aliis modis, & mutui contractu in speciem usurario, vindicare sunt permilli, ferè sicut Clericus à laico detenta bona beneficialia eorundemque fructus simili modo repetere permittitur *c. 1. in fine, ubi Glossa fin. & aliis relatis Molina disp. cit. n. 17.*

9. Idem de Jure Naturali non obscure inde colligitur, quod SS. PP. & summi Pontifices, usuras illicitas esse, desumant, ex *cit.* aliisque textibus veteris Testamenti, ut patet ex *can. Quoniam & c. Quia & c. Super eo cit.* cujus tamen leges solum Morales, quæ Juris Naturalis præcepta sunt, obligant Christianos, *arg. c. Translato 3. de Constit.* ut advertit *cit.* Molina *disp. 304. n. 14.* & dictum in *Proemio n. 42.*

Ex rationibus, quibus usuras Jure Naturali prohibitas, suaderi solet, placet duplex. Prima; quia Jus Naturale exigat, illicitum esse modum acquirendi, quod, si permillum esset, fortunæ egentium facile absorberentur, & in necessitate constituti, pecuniis à feneratoribus quacunque lege acceptis, ad summam rerum inopiam facile redigerentur: quod per usuras merè lucratorias fieri, patet ex *c. Quanto 18. in fine.* & notant Panormit, *in c. cit. n. 2.* & Corrasius *Lib. 3. Miscell. cap. 21. n. 7.* Altera; quia Natu-

ralis æquitas non permittit; ut in commutatione, v.g. venditione pro re v.g. equo, cujus justum pretium summum 100. florenos non excedit, plus, v.g. 105. vel 110. exigantur: quod tamen faciunt feneratoribus, qui pro mutuo datis 100. exigunt 105. vel 110. præcisè vi contractus mutui.

Neque dicas primò, quia vel dena exigi & accipi pro usu, sive jure utendi pecuniâ, frumentò &c. mutuo concessò; quia pecuniâ mutuo datâ dominus non est mutuans, sed mutuarius; mutuum enim sic appellatur; quod *De meo tuum fit l. Mutuum 2. §. 2. ff. de Rebus creditis.* Unde illâ utendi jus ad hunc, non illum spectat; quia jus utendi pecuniâ aliisque rebus usu consumptilibus, quod conceditur in mutuo, ab ejus dominio non distinguitur, ut ostendit Gaill. *Lib. 2. Observat. 7. n. 4.* neque æstimationem & valorem rei auget; ut ad eò pro jure utendi pecuniâ creditâ aliquid exigens, id exigeret pro jure utendi re aliena, & specialem æstimationem non habente: quod utique repugnat Juri Naturali.

Neque secundò, quinque aut decem exigi pro commodo & utilitate, quam ex mutuo percipit mutuarius, cum; quia in hunc redundans commodum & utilitas de mutuantis jure nihil pretiò æstimabile demit aut minuit; quia eum non privat ipsâ sorte aut istius commodò; cum, si fors apud eum remaneret, nihil fructificaret: tum verò; quia, si propter solam utilitatem mutuarii ultra sortem aliquid exigere liceret, propter eandem solum vendi res carius posset; contra receptam doctrinam *cit.* S. Thomæ *cit. q. 77. art. 1. & dicta Lib. 3. tit. 17. n. 50.*

Neque dicas tertio, illa exigi pro obligatione pecuniâ mutuo datam intra annum v.g. non repetendi; quia pecuniâ

cuniam, aliásque res usu consumptibiles pro eo solùm tempore interest habere, pro quo usui esse possunt; & propterea earum possessio pro eo solùm tempore æstimabilis est, pro quo commodus est earum usus. Cùm ergo pro eo tempore, pro quo alteri mutuò dantur, earum usus mutuanti commodus non sit, pro eo tempore earum retentio pretiò æstimabilis, & carentia pro eo tempore compensabilis non est: nisi ex ejus carentia mutuanti damnum emergat, aut lucrum cesset &c. quod aliquò ultra fortem datò compensetur, ut ostendit *Esparza Cursus Theolog. Lib. 8. de Justitia q. 46. art. 5. § 6.*

**13.** Pro lucri usurarii defensione deducta difficilia non sunt Primum; quia *II. Civiles* multæ de Usuris tantùm Compensatoriis aut Moratoriis commodè explicantur, *Haunold. Tom. 3. de l. & I. Tract. p. n. 381.* Quæ autem de Lucratoriis agunt, eas tanquam minus malum ad vitandum majus permiserunt; quòd avaritia hominum in totum cohiberi non posset, ut ex *l. eos qui 26. C. hæc Rubr. defumit Arnold. Corvinus Enarrat. ejus Rubrica, §. Jure Civili: & correctæ sunt à SS. Canonibus, præsertim Clement. Unica, hæc Rubr. cujus dispositionem; quia violationem peccati & salutem animarum spirituales spectat, in Foro etiam & à Magistratu Seculari observandam, rectè advertit Covarruvias Lib. 3. Var. cap. 1. n. 6. & Azor p. 3. Instit. Lib. 5. cap. 2. q. 5.*

**14.** Alterum; quia non est paritas inter pecuniam mutuò datam & vasa aurea commodata, vel potiùs locata, cùm; quia pecunia usu consummitur; non etiam vasa, quæ post usum remanent, ut eadem in specie five numero restitui possint: tum verò; quia dominium vasorum commodatorum vel locatorum manet penes commodantem vel locantem: pe-

cuniam autem mutuata dominium & consequenter eam propriè dictò modò utendū jus in mutuatarium transit. *Modò, inquam, propriè dictò;* quia, si ad usum impropriè dictum, vg. ad pompam & ostentationem concederetur, instar vasorum aliarumque rerum usu non consumptibilium, censeretur, *Tholosanus Lib. 2. de Usuris cap. 3. n. 7.*

Tertium; quia verum non est, quòd mutuatarius non patiatu injuriam; quia non consentit omnino liberè, sed usuras nullò justò titulo debitas partim à præsentè & urgente sua necessitate: partim à feneratoris, sine usuris mutuum dare nolentis, avaritià coactus & invitus solvere censetur, hoc ipsò; quod suum sponte jactare nemo præsumatur, *l. Cùm de Indebito 25. ff. de Probat. S. Thomas q. 13. de Malo, art. 5. & Molina disp. 304. cit. n. 11.*

## ARTICULUS II.

### De Usuris Moratoriis.

#### SUMMARIUM.

16. *Ha vel Legales, vel Judiciales sunt, vel Conventionales,*
17. *Quarum priores licitè exiguntur à creditore,*
18. *Si solutionis dilatio culpabilis sit.*
19. *Quò casu licitè exiguntur Conventionales,*
20. *Etiam cessante interesse creditoris:*
21. *Nisi apposta sint in fraudem usurarum,*
22. *Vel excedant culpam,*
23. *Vel, debiti parte solutà, tota exigantur.*
24. *Sola Conventionales ante sententiã condemnatoriam debentur.*

Morato-

16. **M**Oratoria seu Punitoria Usura nomine venit, quod ultra sortem creditori solvitur in poenam morae, in facienda restitutione fortis creditae, v.g. si mutuarius, quod credita centum constituto tempore non restituerit, in morae, sive ultra tempus illud dilatae solutionis, poenam quina vel dena solvere teneatur: Hujusmodi autem poena vel Legalis vel Judicialis vel Conventionalis esse potest: quarum prima Lege vel Statuto, eisque æquivalente Consuetudine: postrema mutuo consensu seu conventionem contrahentium: secunda à iudice ad instantiam creditoris, moram debitoris accusantis, constituitur, Sylvester *V. Usura* 1. n. 28. Molina *Tract. 2. de l. & l. disp. 317. n. 1.* & Laiman. *Lib. 3. Tract. 4. cap. 16. n. 12.*

17. Certum nunc primò est, lege, statuto vel consuetudine imponi posse poenam, creditoribus solvendam ab omnibus mutuariis, si ad constitutum terminum debitum culpabiliter non solverint; quia hujusmodi poenae constitutio nihil continet iniquitatis: & ad initorum contractuum firmitatem & accuratiorem observantiam conducere potest, *citt.* Sylvester *n. 28.* Molina *n. 2.* & Palao *Tract. 32. disp. 4. p. 16. n. 3.*

18. Certum est secundo, etiamsi Jure vel Consuetudine nulla constituta sit, in casu tamen particulari debitori in iudicio convento pro modo culpa, in solutionis prorogatione commissae, poenam creditori applicandam à iudice imponi per sententiam posse; quia, debitoris culpa supposita, etiam hæc nihil iniquitatis continet, eaque contractuum firmitas & Reipublicae recta gubernatio promoveri potest, *DD. citt.*

19. Dubium autem est de poena Conventionali: cujus exactionem, si solu-

tio sive pecunie creditae restitutio, nulla debitoris culpa, sed casu fortuito dilata sit, injustam esse, satis convenit inter DD. patetque ex *c. Significante 7. de Pign. & hypoth. & l. Trajectitia 23. ff. de O. & A.* quia poenae exactioni locus non est, nisi culpa adsit; cum, quod culpa caret, in damnum non debeat vocari, *c. Cognoscentes 2. de Constitut. & l. Sancimus 22. C. de Penis*, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 215. cit.* Molina *n. 8.* & Lessius *Lib. 2. de l. & l. cap. 20. n. 131.*

Casu etiam, quod solutionis mora culpabilis est, conventionalis poenae appositionem exactionemque injustam & usurariam esse, aliqui voluere, duci *l. Eanam 44. ff. de Usur. & fruct.* & Rescripto Gordiani Imp. *l. Cum allegas 15. C. de Usuris*: uti & paritate cum pacto Legis Commissoriae, reprobato *c. Significante cit. & l. fin. C. de Pign. pignor.* Sed melius, tali casu factam ejus poenae exactionem ab usurae labe immunem esse, cum Glossa *fin. in c. Conquestus 8.* & Panormit. *in c. Suam 9. de Penis, n. 6.* defendunt Sylvester *cit. n. 8.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 8. n. 11.* Molina *n. 3.* Lessius *cap. 20. n. 28.* Laiman. *n. 12.* & Palao *Tract. 32. disp. 4. p. 16. n. 5.*

Ratio est; quia ejus appositio & exactio Naturali permitta, & Positivo Jure prohibita non est in casum, quod contrahentes culpabiliter defecerint; ut ita contractus sint firmiores, & executioni certius mandentur, *c. Dilecti 4. de Arbitr. l. Trajectitia cit. & l. Si pactio 15. C. de Pactis.* Atque hujus poenae exactio justa esse potest; quantumvis ex mora creditori non emergat damnum, nec lucrum cesset, ut contra Scotum *in 4. dist. 13. q. 2.* & alios VV. docent DD. *citt.* quod ad firmandos contractus in eventum, quod in iis defecerint, ad poenam se obligare contrahentibus permittum sit, *c. & l. citt.* Neque

Neque contrarium evincit l. *Pœnam* cit. cum Rescripto Imperiali; quia iis solum reprobatur pœna Conventionalis immoderata, atque excedens modum culpæ, & taxam seu quantitatem legibus vel moribus, si quæ est, definitam: non ejus moderatam & ex conventionem faciendam exactionem, quando certa lege determinata vel moribus recepta non est, Barbosa in c. *Suam* 9. de *Pœnis* n. 4. & Haunold, Tom. 3. de l. & l. *Trati*. 9. n. 407. ob quam causam Legis Commissoriae pactum Positivè Jure reprobatur, ut notat Palao cit. p. 16. n. 3. & dictum Lib. 7. tit. 21. n. 20. quia, sicut pœna moderata firmandis, ita moderationem excedens solius lucri ultra fortem ex mutuo capiendi gratiâ, & in fraudem appositâ, præsumitur.

21. Rectè etiam hœc locò, ut pœnæ appositio & exactio usuræ labe careat, DD. exigunt primò; ut ea non apponatur in fraudem usurarum, sive ad istas ejus pallii obtegendas: sed ideo tantùm; quòd eam apponens, pecuniam creditam ad præfixum terminum simpliciter velit habere; hoc enim si in pactum deducat, & debitor non observet, creditori facit injuriam, & culpam pœnæ, ex conventionem solvendæ, et noxiam committit, cit. Molina n. 26. & Bruneman. in l. *Cum allegas* cit. n. 4.

Secundò; ut solutioni non præfigat terminum nimis brevem, sive talem, intra quem illam à debitore exhiberi verisimiliter non posse scitur; cum sic in fraudem legis, usuras vetantis, appositâ, & pœnæ præsentæ lucrum potiùs, quàm solutionem ad præfixum tempus intendere, præsumeretur, cit. Molina n. 6. Lessius n. 131. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 52.

22. Tertio; ut mora non solum culpabilis, sed etiam notabilis; eaque admis-

sæ culpæ pœna sit proportionata. arg. c. *Significante* cit. l. 1. § 1. fin. C. de *Pactis pignor.* quòd aliàs in fraudem usurarum, sive istarum iniquitatem palliandi intentione, esse appositâ & exigì præsumetur, cit. Molina n. 8. Lessius à n. 133. & Palao à n. 8.

Quartò; ut, si debiti sive summæ creditæ pars tantùm soluta non est, pœna non tota, sed ejus tantùm pars, parti non solutæ respondens, exigatur, ut ex c. *Suam* 9. de *Pœnis* cum Glossa ibi *V. Perfolutis*, & Panormit. n. 1. desumunt cit. Molina n. 9. Palao n. 10. & Gutierrez p. 3. de *Jurament.* cap. 17. n. 6. Quod an indiscriminatim verum, & hac in re Canonicum à Civili Jure divertat, statuetur Tit. 37. à n. 4.

Porro, licet pœnam Legalem & Judicialem ante sententiam condemnatoriam creditori solvere debitor in conscientia non teneatur, eam tamen non exigat Conventionalis: sed, quòd ex pacto & paciscentium voluntate debita sit, eam saltem, postquam exacta est, solvendi obligatio in conscientia datur, ante judicis sententiam condemnatoriam, Sylvester *V. Pœna*, n. 14. Covarruvias p. 2. de *Sponsal.* cap. 6. §. 8. n. 11. & alii. *Condemnatoriam*, inquam; quia non desunt DD. qui pœnam Conventionalem ante sententiam, licet non pœnæ, culpæ tamen declaratoriam requirant, Palao cit. p. 16. n. 5.

### ARTICULUS III.

## De Usuris Compensatoriiis.

### SUMMARIUM.

23. *Ultra fortem licitè aliquid creditor exigit ratione interesse,*  
G 26. *Size*



26. *Sive I. Damni emergentis :*  
 27. *II. Lucri cessantis :*  
 28. *Si hac certa, eorumque causa mutuuum sit,*  
 29. *Et compensatio in pactum deducatur.*  
 30. *III. Periculi amitenda sortis :*  
 31. *Si de ista creditor non reddatur securus,*  
 32. *Et amissionis periculum probabile sit.*  
 33. *IV. Assurationis ipsius sortis,*  
 34. *Cum istius periculum non est leve,*  
 35. *Idque creditor in se recipit.*  
 36. *V. Vt Consuetudinis, taxantis interesse :*  
 37. *Quo cessante, ejus vi exigi nihil potest.*  
 38. *In foro externo interesse praesumitur & adjudicatur :*  
 39. *In interno veritas attenditur.*  
 40. *Mutuuum ad tempus annuum brevius dari :*  
 41. *Et ratione interesse aliquid,*  
 42. *Imò aliquando consuetà major quantitas exigi potest.*

25. **C**ompensatoria sive restauratoria Ulura est, quod ultra sortem exigitur, non vi mutui, sed ratione interesse ipsius creditoris: ratione cujus iuste aliquid exigendi varii tituli & causae sunt.

26. Prima Damnum emergens: quò nomine denotari solet iactura, quam creditor ratione mutui dati patitur in rebus suis, quas jam habet, v.g. si mutuo det pecuniam, ad reparandas aedes, quae ruinam minantur, aut ad frumentum tempore abundantiae emendum destinatum: indeque fiat, ut aedes corruant, & pro frumento majus pretium expendere cogatur. Cujus damni compensationem ultra sortem exigi & in pactum deduci posse, doctrina S. Thomae 2. 2. q. 78. art. 2. ab

aliis DD. passim recepta contra Scotum in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. & ratio clara est; quia mutuanti licet, se servare indemnem: & curare; ut beneficium, quod alteri praestat, sibi non sit damnosum. Ergo accipere & ex pacto exigere damni ex mutuo emergentis compensationem.

Secunda causa (seu titulus est Lucrum cessans: quò nomine à DD. intelligitur incrementum bonorum, quod quis facturus fuisset, si pecuniam mutuo non dedisset, v.g. si mercator ex nullo mutuo datis, interea dum restituuntur, lucraturus fuisset quinquaginta vel centum, aut alius iis emisset agrum aliãve rem fructiferam, ex qua ejusdem aestimationis annuos fructus fuisset percepturus. Cujus lucri & fructuum compensationem exigi & in pactum deduci posse, negarunt VV. Canonistae: quibus non obsecure favet S. Thomas cit. art. 2. quia lucrum, quod cessare ex mutuo dicitur, multis modis potest impediri. Sed in praxi tutum & frequentiori calculo receptum est, etiam hoc nomine ultra sortem exigi aliquid posse; quòd lucrum ratione mutui cessans pretio aestimabile non minus sit, quam ex illo emergens damnum: imò carentia lucri inter damna passim recensetur. Ita Navarrus *Manual. cap. 17. n. 211.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 4. n. 5.* Molina *disp. 315. n. 3.* Lugo *de l. & l. disp. 25. n. 87.*

Salubriter tamen hoc locò DD. ut ex duobus his titulis exigi ultra sortem aliquid possit, requirunt Imprimis; ut spes lucri certa, vel damni periculum certum aut verisimile adsit, ejusque causa sit mutuuum; ut, si hoc non daretur, evitaretur damnum, aut lucrum perciperetur. Unde ex his titulis exigere nihil potest is, qui praeter mutuatam habet alias pecunias, ad occurrens lucrum aut imminens damnum sufficientes, & aliò non de-

29. non destinatas. Deinde; ut damnum periculum & lucri spes manifestetur mutuatario, & in pactum deducatur; quia iste fortassis mallet, mutuo carere, quam cum eo in se recipere onus, lucrum aut damnum compensandi. Unde ab isto non pramonito compensationem exigere nequit, nisi vi metive coactus esset ad mutuum; hic enim, quia per actionem injustam lucri cessantis, vel damni causa fuisset, ad utriusque compensationem obligaretur. Demum; ut lucrum non exigatur integrum: sed quanti illius spes prudentis viri arbitrio aestimatur, consideratis periculis & deducta aestimatione laboris ac impensarum, illius causa faciendarum: de quibus latè *citt.* Molina à n. 1. Lugo à n. 90. & Haunoldus *Tom. 3. de I. & I. Tratt. 9. à n. 386.*

30. Tertia est Periculum fortis non recipiendæ à mutuatario ob lubricam ejus conditionem; quòd is homo pauper, deceptor, parum fidus; eamque ob causam justus metus sit, ne eum solvendi facultas deficiat, aut solutio sine magnis molestiis & sumptibus non recuperetur. Ex quo titulo, si mutuatarius pignora aut fidejussionem offerendò &c. creditorem assecurat, nihil exigi ultra sortem posse, certum est; quia his oblati periculum jam tolleretur.

Casu etiam, quòd creditorem non assecurat, aliquid exigi posse, cum Navarro *cap. 23. n. 81.* negant Sotus *Lib. 6. de Just. q. 14. art. 1.* Gutierrez *Q. Canon. Lib. 1. cap. 39. n. 30.* & alii, pro se allegantes textum *c. In civitate 6.* & rationem, partim; quòd, si hoc liceret, creditoribus præberetur occasio palliandi usuras; cum enim hujusmodi periculum frequenter adsit, facile quasvis usuras ipsius prætextu palliarent: partim; quòd periculo, cui fors, istius etiam auctarium exponeretur. Unde, si ratio-

ne istius aliquid exigere liceret, procederetur in infinitum.

At verius cum S. Thoma *Opusc. 73. 31. de Usuris q. 10.* Sylvestro *V. Usura, q. 35.* & aliis id affirmant *citt.* Molina *disp. 304 n. 5.* Lessius *cap. 20. n. 11.* Palao *cit. disp. 4. p. 17. n. 3.* & Haunold. *n. 415.* eâ moti ratione; quòd creditor habeat jus à debitore sive mutuatario exigendi assecurationem per pignora & fidejussores; & propterea, si eam non præstet, exigi ab eo valeat aliquid ipsi æquivalens, quale est modicum, quòd additur ultra sortem. Confirmatur; quia debitum periculosum minoris aestimationis est, quantum certum: eamque ob causam passim literæ Censuales propter incertitudinem solutionis censuum & difficilem conventionem debitorum minoris emi solent. Unde ob non minus periculum & incertitudinem solutionis ultra sortem aliquid exigere licebit mutuanti.

In contrarium allata non admodum urgent. Textus; quia eo Alexander III. solummodo damnat perversum animum merces pluri vendendi propter dilatam solutionem, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Comparant.*, notant Panormit. *n. 2.* & Canisius *de Usuris cap. 3. n. 2.* Rationes: cum; quia non pro quovis levissimo, sed probabili & inter homines aestimabili periculo, quale ita frequens non est, exigere aliquid licet: tum verò; quia auctarium etiam, ut percilitans, esse potest sufficiens compensatio periculi fortis non recipiendæ; ac proinde ejus ratione exigi nihil potest, & evitatur processus in infinitum, Haunold. *n. 417.*

Quarta causa seu titulus est Assecratio fortis: quam, si mutuatario cum pecuniis mare trajecturo, aut per loca obsessa ab hostibus, vel prædonibus infesta ad nundinas ituro, præster creditor periculum in se suscipiendò; ut ipsi, f

G g a                                  fors cre-

fors credita v.g. centum aurei intereant, ab illo nihil: si vero salva deferatur, ultra sortem v.g. decem debeantur, pro usuraria cum Gloſſa in c. fin. V. Periculum, habent in c. cit. Hoſtienſ. n. 2. Anchoran. notab. 2. Panormit. n. 3. & alii præſertim VV. Canonistæ, exiſtimantes, c. cit. pr. correctum Jus Civile, & ſublatur ſcenus Nauticum, quod ab illo totis Tit. ff. & C. de Fœnore Naut. permiſſum fuit.

34. Sed meliùs, ſcenus hoc c. cit. non ſublatur: & ejuſmodi exactionem, cum periculum non leye vanumque revera ſub- eſt, itiuſque magnitudinem, quod exigitur, non excedit, ab uſuraria iniquitate immunem, cum S. Thoma Opuſc. cit. q. 9. Covarruvia Lib. 3. Var. cap. 2. n. 5. Molina diſp. 318. n. 4. Fachineo Controverſ. Lib. 2. cap. 48. & aliis TT. ac Legiſtis pronuntiant cit. Caniſius cap. 4. n. 6. Barboſa in cit. c. n. 2. & ceteri Canonistæ RR. plerique. Ratio eſt; quia ejuſmodi aſſecuratio pretiò æſtimabilis eſt: pro eaque præſtanda aliquid exigere licet tertio, ex communi ſenſu DD.

35. Cur non etiam creditori mutuanti? cum non appareat, quomodo iſte uſuram committat, idem & eodem titulo, hoc eſt, non vi mutui, ſed vi contractus aſſecurationis, ab illo diverſi, aliquid exigens.

Difficilis, imò apertè contraria eſt deciſio c. fin. cit. niſi congruè interpretatione declaretur vel emendetur. Omiſſis expoſitionibus, à textu magis alienis, veriſimilior eſt, quam reddunt laudati Covarruvias cit. n. 5. & Caniſius n. 5. eò mutuante uſurarium pronuntiarì, aſſerentes, non quod aliquid exigatur ratione præſtitæ aſſecurationis: ſed, quòd mutuarius vi mutui obligetur ad contractum aſſecurationis cum creditore in- eundum: quod utique uſurarium non minus eſt, quàm ſi vi mutui obligetur ad aliquid vendendum, emendum &c. Hac

tamen etiam interpretatione expediendi & à cit. Fachineo, Laiman. Lib. 3. Traſſ. 4. cap. 15. n. 12. Barboſa cit. n. 2. aliisque DD. RR. approbata eſt expoſitio Bernartii de Utilitate legenda Hiſſor. Lib. 2. pr. obſervantis, in illum Decretalium textu irrepſiſſe mendà: & omiſſam particulam Non, ut pro Uſurarius eſt, legendum ſit, Uſurarius non eſt cenſendus. Quæ obſervatio veriſimilis redditur ex eo; quòd aliàs non rectè ſubijceretur, ille quoque non debet uſurarius reputari; cum, ſi priorem contractum uſurarium pronuntiaſſet Gregorius IX. pro verbis, Ille quoque, ſubijcere debuiffet, Ille contra uſurarius cenſendus non eſt, quia particula Quoque non adverſativa: ſed perinde ferè, ut voces Similiter, Etiam, copulativa eſt & implicativa, continens repetitionem & ſignificans ſimilitudinem præcedentis, ut cum Cenedo, Rebuſſo, Tuſcho & aliis notat Barboſa Diſſation, Uſu- ſreq. diſſ. 333. à n. 3.

Quatuor relatis titulis ſeu cauſis ad- dunt aliqui DD. Conſuetudinem: vi cu- jus, uti & Legis, ſtatuentis quantitatem, quæ lucri ceſſantis, damni emergentis aut alterius tituli nomine nequeat exce- di, exigi ultra ſortem aliquid poſſe, facile convenit inter DD. & receptum eſt in Imperio Romano, exactionem quin- que pro centum creditis ex diſcis titulis annuatim permittente. Engel in Colleg. Jur. Canon. ad hanc Rubr. §. 1. n. 10.

Vi Conſuetudinis ſolius &, omni aliò titulo ſecluſo, aliquid accipi conſue- viſſe: & ob non obſcuram approbationem Reipublicæ, ſine alterius tituli proba- tione auctarium petenti adjudicantis, poſſe, Saà & Tannero allegatis, contra Wadingum defendit Haunoldus cit. Traſſ. 9. n. 421.

Verùm; quia Uſuræ Lucretoriæ Na- turali & Divinò Jure prohibita, ut cit. Author à n. 367. latè & ſolidè oſtendit: & pro:

& propterea nullâ, etiam Apostolicâ, dispensatione, & intuitu etiam causâ piâ, licitâ reddi possunt, *c. Super eo q. non apparet*, quâ ratione ultra fortem exigi aliquid possit vi solius consuetudinis; quia ista, hęc ipsò; quod Naturali vel Divino Juri contraria sit, irrationabilis & corruptela foret, per text. *c. fin. de Consuetud.* Interpp. ibi & tradita ab ipsomet Haunoldo Tract. Proccemialii n. 123.

Neque ejusmodi consuetudini patrocinatur favor & approbatio Reipublicæ; quia imprimis hæc auctarium petentibus adjudicat; quod ejus petendi justum titulum, ubi abesse non probatur, adesse præsumat. Deinde; quia ejus approbatio Naturali & Divino Juri, usuras lucratorias damnant, nequit prævalere, *arg. can. Inferior dist. 21. c. Super eo & c. fin. cit.* & propterea leges Civiles, si quæ istas permittunt, à SS. Canonibus sunt correctæ, ut dictum n. 13. Denum; quia *Clemens. Unica §. Nos igitur*, sicut Statuta etiam juramentò confirmata, sic etiam Consuetudines, usuras, sive exactionem lucri ultra fortem vi mutui permittentes, tanquam Divino & Humano Juri contrariâ rejectæ: & in Magistratus, ejusmodi statutorum & consuetudinum observantiam foventes aut promoventes, excommunicationis sententia est lata, Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 1. n. 8.* & alii apud Gonzalez in *c. Super eo cit. n. 4.* Unde

38. Dubium oritur, an ergo creditor, cui ex pecunia alteri credita neque lucrum cessat, neque damnum emergit &c. ultra fortem aliquid exigere in Imperio possit. Qua in re differentia statuenda est inter fora; quantumvis enim aliquid exigens Usurarius non censeatur in externo, in interno tamen seu Conscientiæ foro ab usuræ labe non est immunis. Ratio est; quia ex una, lex & consuetudo Imperii fundatur in præsumptione lucri ex mutuo

creditori cessantis, aut alterius tituli semper intervenientis, ut verbis *Recessus Spirensis 1600.* celebrati & à Rudolpho II, confirmati post medium §. So viel nun diesem nach der Vermuthung halber / daß der Creditor sein Geld von solcher Zeit an / anlegen und zugelassener Weßß zum wenigsten von hundert Gulden fünfß wohl haben möge; his enim verbis quina pro centum creditis exigi non simpliciter, sed 39. ideo solum permittuntur; quod ex centum creditor præsumatur saltem quina lucraturus, ut *cit. Canisius cap. 1. n. 9.* observat: ex altera verò parte, lex & consuetudo in tali præsumptione fundata, casu, quò hæc falla est, locum non habet in foro Conscientiæ interno; in hoc enim præsumptio cedit veritati, *arg. c. Super hoc §. de Renuntiat. ut Lib. 1. tit. 2. à n. 87.* est explicatum.

Dubium etiam & quæstio mota est, 40. an quina pro centum exigere valeant, si ista mutuatario concedantur, retentâ facultate, fortem sive centum credita repetendi post semestre. Qua in re explorati Juris est, creditorem cum debitore pacisci posse; ut pecuniam creditam intra certum terminum &, sicut post annum, sic etiam post semestre aut brevius tempus, creditor valeat repetere, & debitor restituere teneatur, *arg. l. Nummis 3. ff. De in litem jur. Panormit. in c. fin. de Freccar. n. 11. Mozzius de Contract. Col. 7. n. 4. cit. Molina disp. 299. n. 7. & Laiman cap. 16. n. 2.* Ratio perspicua est; quòd, cum rerum suarum moderator & arbiter quisque sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati* in earum traditione apponere valeat conditiones, quas vult: dummodo sint honestæ & Jure non reprobatæ, *l. In traditionibus 48. ff. de Pactis*: conditio autem & pactio illa inhonestæ & Jure aliquò reprobata non sit.

An autem, si pecuniam tali pacto 41.

G g 3

concel.

concessam, post semestre creditor repetat, ultra eam, quina illa exigere valeat, dubitandi ratio obvia est; quod pecuniam ereditam post semestre repetendi jus sibi reservans, eam concedere videatur, donec eam cum lucro utendi se offerat occasio; ac proinde eodem tempore, pro quo eam mutuo dat, interesse solum commentitium sit. At, licet hæc ratio non levis, locus tamen, imò opus est distinctione; vel enim quina post semestre integra, vel eorum tantum partem semestri respondentem, sive duo cum dimidio, percipere intendit.

Si posterius hoc, à labe usuraria immunis est in foro saltem externo; quia ratione interesse non exigit plus, quam permittit generalis & Imperiali *Constitutione* §. *So viel nun cit.* approbata consuetudo. In externo, inquam: imò & interno, si ut §. *cit.* præsumitur, ex pecunia, pacto concessa, creditori duorum cum dimidio lucrum verè cesset.

Si posterius, ab usura non excusabitur in foro etiam externo; quod interesse sive lucri cessantis &c. ratione plus exigit, quam consuetudo illa permittit. Nisi tamen ei ex centum ita creditis quingentorum lucrum intra semestre verè cessaret; hoc enim casu ex conventionione quina post semestre percipiens ab usura in conscientia: imò in externo etiam foro excusaretur, si ex centum creditis annuatim denorum, & intra semestre quingentorum lucrum sibi cessare, in iudicio legitime probaret, ut aperte colligitur ex *Recess. & §. cit. Verbis* da dem Creditori soische sunff nit annemblich / sonder er vermainen wolte / tam ex lucro cessante quam damno emergente, ein mehrers zu fordern / daß ihme alsdann sein gang interesse zu deduciren / zu liquidiren ic. unbenommen sein solle *Struvius Exercit. 27. s. 49. in fine & Pranob. ac Magnif. Collega D. Domini-*

cus *Basilius Semicent. Q. Q. Forens. Controvers. 36. n. 13.*

Quod si in provincia aliqua inter mercatores vel alios lucri cessantis nomine quinis plus, v.g. fena, ut in Austria & Saxonia, vel quantitas major statuta vel consuetudine permitteretur, id quidè observari: sed neque à mercatoribus ad cives alios, neque extra eam ad alias provincias extendi debet; quia huiusmodi statuta & consuetudines contrariæ sunt Juri publico; & propterea extensionem, tanquam odiosam, non admittunt, *Reg. Odis 15. in 6. ut, aliis relatis, idem D. Collega observat n. 10.*

#### ARTICULUS IV.

### De Variis Actibus de Usura Lucratoria suspensis.

#### SUMMARIUM.

43. *Vi mutui locatio adium, frequentatio taberna &c.*
44. *Etiã gratitudinis titulo in pactum deducto,*
45. *Imò & mutuum vicissim dandum exigi nequit.*
46. *Illicitum est pactum Anticbrefeos,*
47. *Etiã in iurum favore causa Pie,*
48. *Maritus rei, pro dote oppignorata, fructus lucratur.*
49. *Honesti & laudabiles sunt Montes Pietatis.*
50. *Res carius vendi ob solutionis dilationem,*
51. *Et vilius emi nequit ob ejus anticipationem,*
52. *Saltem in foro Conscientie interno,*
53. *Fruentum licitè datur autumnali, ut verno tempore restituatur:*

54. *Nisi*

54. Nisi hoc tempore pretium futurum majus,  
 55. Et illud creditor non esset servaturus.  
 56. Chirographi debitorum 100. emptio pro 90. plerumque illicita:  
 57. Aliquando honesta est.  
 58. Honesti etiam est negotiatio Campsorum,  
 59. Et publice proponentium Ollas, ut vocant, Fortunæ.

43. **P**rimus est pactum creditoris, pecuniam mutuantis eâ lege, ut mutuatarius pro creditore studeat, ejus scholas frequentare vel ædes, quantumvis pretiò aliunde non injustò, locare vel conducere, ex ejus officina vel taberna panem, vinum, merces emere, ad ejus molendinum aut furnos frumentum molendum vel coquendos panes deferre teneatur. Quæ iisque similia pacta, licet Major in 4. dist. 15. q. 29. & Angelus V. Usura 1. §. 5. ab usuræ labe absolvant, melius tamen S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. Panormit. in c. fin. n. 17. Molina Tract. 2. disp. 309. n. 6. & Laiman Lib. 3. tract. 4. cap. 14. n. 3. pro usurariis habent, & habenda suadet ratio; quia ultra fortis reddendæ obligationem mutuatario imponunt onus, pretio æstimabile, auferunt libertatem, quam lubet, scholam, tabernam, molendinum &c. frequentandi. Casu tamen, quò ea creditor non vi mutui ex eoque ortæ obligationis, sed ex benevola gratuita & grata voluntate liberè sibi præstari peteret, eum in rigore ab usuraria iniquitate abolveret Palao Tract. 32. disp. 4. p. 11. n. 2. licet ejusmodi petitiones admodum periculosas censcat & dissuadendas.

Liberè, inquam; non vi pactionis ut debitum, cum; quia, licet pactio propriè

accepta benevolentia & gratitudinis titulum habeat adjunctum, titulum tamen Justitiæ non excludit, sed hunc imbibit adèd, ut Pacifici propriè & obligationem Justitiæ inducere nequeant separari: tum verò; quia, quòd ut debitum ratione mutui ultra sortem (etiam gratitudinis & benevolentia titulo expressò) exigitur, usurarium censetur, & pro tali apertè habetur ab Innocentio XI. qui Decretò 2. Martij 1679. editò damnatis n. 42. accenset Propositionem, Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum: sed solùm, si exigitur ut ex Justitia debitum.

Secundum est pactum, quò creditor mutuum ea lege dat; ut mutuatarius vicissim mutuum det creditori id petenti: quò, cum pro beneficio non nisi beneficium exigatur, usuram committi, negant cit. Angelus & Major. Sed melius cum eodem D. Angelico & Sylvestro V. Usura 1. q. 2. affirmant cit. Molina disp. 308. n. 3. & Laiman n. 3. quòd, licet mutuum ex natura sua beneficium sit, nihilominus quando vi contractus mutui exigitur, præstetur ut debitum atque ex obligatione: quæ, cum pretio sit æstimabilis, fortè accedens lucrum est; ac proinde vi mutui ultra sortem exigi, sine usura non potest.

Tertium est pactum Antichreseos, cujus vi creditor rei fructifera, vg. prædii, sibi oppignorati, fructus lucratur. Quod tanquam usurarium rejicitur c. Conquestus 8. hic c. Cum contra 6. de Pignorb. l. 1. §. 1. Quod ex operis 2. C. de Pignor. aff. secundum quos textus ejusmodi fructus, deductis tamen expensis & æstimatione laboris, imputandi sunt in sortem; ut per eos debita quantitas diminuat, & tandem extinguatur, ut dictum Lib. 3. cit. 21. n. 18.

Dubium tamen hoc loco est, an pignoris fructus percipi à creditore neque-

nequeant ob favorem causæ Piæ. Ratio dubitandi oritur ex *c. Conquestu 8. cir. in fine* & *c. 1. de Feudis*, ex quorum textuum decisione Ecclesia lucratur fructus Feudi, pro mutuo sibi oppignorati à Vasallo: & ex *c. Salubriter 16.* ubi Innocentius III. marito permittit lucrum fructuum possessionum, sibi oppignoratarum pro dote, ob dilatam ipsius solutionem. Cur non dem liceat causis Piis, non minus favorabilibus, quàm est causa dotis?

At hoc ipsò; quod lucrum fructuum pignoris usurarium sit, istorum perceptio licita esse nequit etiam intuitu causæ Piæ, *c. Super eo 4.* quia, ut hoc textu asseritur, Usuræ Jure Divinò utriusque Testamenti reprobantur; & propterea ullà dispensatione humanà etiam pro vita captivi reddi licitæ & cohonestari non possunt: quod confirmat Glossa *in i. c. cit.* quia mala non sunt faciendæ; ut veniant bona: neque elemosynæ faciendæ de scenore & usuris, *can. Non est putanda, 1. q. 1. & can. Nolite 14. q. 1. Covarruvias Lib. 3. cap. 1. n. 8. Tholosan. Lib. 2. de Usuris cap. 8. à n. 16. & Gonzalez in c. Super eo cit. n. 4.*

Neque, eas evadere honestas, evincunt *citt. textus* Priores; quia non continent speciem favorem Ecclesiarum aut Ecclesiasticorum, ut perperam voluit Glossa *in c. 1. cit. V. Immuni*; cum, ut omnis avaritia, sic vel maximè lucra usuraria in ipsis magis, quàm in secularibus, sint detestanda, *c. 1. & c. Quoniam 2. pr. Pa normit. & Fagnanus in c. 1. cit. n. 2.* quocum, feudi sibi oppignorati fructus, si interea ratione illius debita servitia à vasallis non præstentur, quoscunque dominos directos lucrari: idque Feudo speciale esse, dictum est *Lib. 3. tit. 20. n. 56.* Posterior; quia possessionum pro dote oppignoratarum fructus à marito percipiuntur, non in compensationem dilatæ solu-

tionis, sed in partem dotis intuitu onerum matrimonii; cum enim ad hæc supportanda marito debeatur dos, *l. Si quis 21. §. ff. de Donat. inter vir. & uxor. l. Pro oneribus 20. & c. C. de Jure dotium*, quamdiu ista non solvitur, ille habet jus exigendi aliquid æquivalens, ex cuius fructibus illa sustineat totò tempore, quò dote caret: quod ex dispositione *c. Salubriter cit.* sunt fructus ex pignore provenientes. Ita aliis DD. relatis *c. cit.* explicant Molina *disp. 321. n. 2.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 20. n. 141. Laiman Lib. 3. Tract. 4. cap. 16. n. 17. & Lugo de J. & J. disp. 25. n. 155.*

49. Quartum sunt Montes Pietatis, sive æraria aut granaria, piorum hominum liberalitate constituta ad sublevandas necessitates indigentium: quibus petentibus certa quantitas pecuniæ aut frumenti, receptis pignoribus, mutuo concedi eà lege solet; ut, si præfixò tempore debitum non solvatur, vendantur pignora: & ex eorum pretio Mons Pietatis sortem creditam, & modicum quid ultra eam recipiat: residuum verò reddatur debitori. Quem mutuandi modum usurariâ labe infectum, existimârunt Cajetanus *in Comment. de Monte Pietatis, cap. 1. & Sotus Lib. 6. de Justitia q. 1. art. 6.* eâ persuasi ratione; quòd non addit ullus titulus, vi cuius ultra sortem aliquid, etiam modicum, exigi aut accipi possit.

Sed ejusmodi Montes tanquam honestos disertè approbavit Concilium Lateranense sub Leone X. *Sess. 10.* & inter opera Pietatis recensuit Tridentinum *Sess. 22. cap. 8. de Ref.* Ratio eorum exactionem cohonestans est; quia, quòd ultra sortem recipiunt, non exigunt vi mutui, sed propter sumptus in sustentationem & salaria ministrorum, pecunias mutuo concedentium, eas repetentium, custodientium & aliquando distrahentium pigno-

um pignora, & Montes administrantium faciendos, & à mutuatariis componendos, ut cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 123.* & aliis docent *cir. Molina disp. 32. n. 3.* Haunoldus *Tom. 3. de J. & J. tract. 9. n. 439.* & Palao *Tract. 32. disp. 4. p. 24. n. 2.*

50. Quantum contractus, quò res, cujus pretium summum sunt centum, majori pretio v.g. 110, venditur ob dilatatam solutionem: de quo, an sit usurarius, dubium oritur ex decisione Alexandri III. *c. In civitate 6.* retribuentis, *Contractum ex hujusmodi forma non censeri nomine usurarum:* cujus ratio est; quia usura non nisi in mutuo exercetur, *can. Si faveraveris 14. q. 3.* cum lucrum ex mutuo proveniens sit, juxta *dicta n. 1.*

Sed, licet talis contractus, si forma & verborum figura spectetur, venditio; ac proinde ab usurae crimine: imò casu, quò dubium, an res vendita tempore solutionis plus aut minus valitura sit, eamque venditor antè non esset distrahturus, ab injustitiâ etiam peccato immunis sit, ut *c. cir. insnuatur, & expressè traditur c. fm. calu tamen, quò hujusmodi dubium & majoris pretii exigendi alius justus titulus non est, sub figura sive specie venditionis latet usura palliata, ut probè agnovit Urbanus III. c. Consultus 10.* quia solutionis prorogatio est mutuum implicitum & interpretativum; cum perinde sit, ac si rei venditæ ipsum pretium sive centum ab emptore priùs soluti; & dein à venditore ipsi crediti essent cum pacto, post annum præter credita centum dena alia reddendi. Quò modò & formâ, si contractus expressè iniretur, usura aperta committeretur, Panormit. *in c. In civitate cit. à n. 5.* ubi Gonzalez *n. 6.* & Fagnanus *n. 6.* quantumvis venditor ex hujusmodi contractu, cum de usuraria intentione aliunde, quàm ex pretii excessu & solutionis dilata-

non constat, in foro externo, in quo de occultis non judicatur, *c. Sicut 33. de Simonia,* tanquam usurarius non condemnatur, ut ex *c. In civitate cit.* cum Panormit. & Hostiensis *l. cit.* colligit idem Fagnanus *n. 8.*

Eadem ferè ratio est contractus, quò res, cujus infimum pretium sunt centum, minoris v.g. nonaginta emitur ob solutionis anticipationem; quantumvis enim talis contractus formam & speciem emptionis potius, quàm mutui repræsentet, casu tamen, quò pretium postea idem fore constat, & damni emergentis atque alià similes tituli absunt, eò mutuum sub venditionis pallio latens & usura continetur; cum perinde sit, ac si mutuo dati essent nonaginta; iisque post annum, cum auctario, hoc est, decem aliis receptis res centum emeretur, Panormit. *in c. fm. cit. n. 6.* Canisius *de Usuris, cap. 4. n. 3. in fine.*

Sed licet ista, cum ratione dilatae exigatur majus, vel ratione anticipatae solutionis minus pretium numeratur, locum habeant in foro Conscientiæ interno, *c. Consultus cit.* rarè tamen observantur in externo; quod in his contractibus deficiat forma mutui: & intentio usuraria sit occulta. Unda ex hujusmodi contractu venditor & emptor, si de usuraria intentione aliunde, quàm ex pretii excessu vel defectu, ex solutionis dilatare vel anticipationem, v.g. per scripturam vel confessionem ipsius venditoris aut emptoris non constet, tanquam usurarii vix poterunt condemnari, ut ex *c. In civitate cit.* aliis DD, relatis colligit Fagnanus *n. 9.*

Sextum est Contractus, quò frumentum v.g. aut vinum mutuo datur aut venditur in aurumno, eâ lege; ut restituatur in vere, aut solvatur pretium, quò verno tempore constat. Cujusmodi contractum casu, quò incertum esset, an hoc tempore frumenti aut vini idem, vel majus vel minus pre-

H h

nus pre-



aus pretium sit futurum, neque usurarium, neque injustum esse, aperte decisum est *e. fm. V. Ille quoque*, & cum Glossa *ibi V. Dubitatur*, Sylvestro *V. Usura* 1. q. 14. & Navarro *Manual. cap. 17. n. 219.* docent *citt. Molina disp. 311. n. 1.* & Laiman *cap. 16. n. 14.* Ratio satis clara est; quia in eo nulla apparet inæqualitas inter contrahentes; cum utriusque periculum jacturæ & lucri spes sit æqualis.

54. Casu autem, quò omnino aut ferè certum vel probabilius est, valorem augendum, adhiberi solet distinctio; vel enim creditor aut venditor frumentum vinumve mutuò datum aut venditum servaturus erat in tempus vernum, quò plus est valiturum, vel non? Si prius, contractum ab usura cum *citt. Navarro & Molina* absolvit Lessius *cit. cap. 20. n. 145.*
55. Neque id immeritò; cum creditor & venditor non teneatur propter mutuatarium aut emptorem omittere lucrum, quòd frumentum vinumve servandò erat justè facturus. Deducendam tamen hoc casu æstimationem laboris ac sumptuum, quos creditor & venditor in custodiam, vecturas &c. erat facturus, rectè monet Laiman *cit. n. 14. §. Excipe.* Si posterius, contractum de eadem quantitate in vere restitueudà, aut vernò pretiò solvendo, in mutuo expressè: in venditiõne autem virtualiter usurarium esse, cum *citt. Navarro, Molina, Lessius & Covarruvia Lib. 2. Var. cap. 3. n. 6.* verisimiliùs defendunt Palao *Tract. 32. disp. 4. p. 13. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 57.* quòd tali casu in mutuo expresso, absente omni justo titulo, ultra quantitatem creditam aliquid, scilicet quantitas frumenti aut vini majoris valoris: in venditiõne autem, vel potiùs mutuo eà palliatò, virtualiter pro presentis temporis pretiò minori recepto, iterumque credito majus, quò postea valebit, pretium exigatur.

Septimum est Emptio, chirographi sive nominis & debiti alieni, v.g. centum debitorum pro nonaginta aut etiam octoginta jam numerandis. Quem contractum casu, quò debiti, quantumvis minimè litigiosi, sed omnino liquidi certique solutio v.g. propter debitoris inopiam &c. ambigua: vel pro ea obtinenda sumptus faciendi, aut labores vel pericula subeunda: vel ex ejus emptione & pecuniæ præfenti numeratione emergit damnum, vel lucrum cessat, ab usuraria aliãve iniquitate DD. facile absolvunt: & contrà tantquam usurarium damnant casu, quò, hujusmodi titulis absentibus, præcisè propter præsentem & anticipatam pecuniæ repræsentationem minor quantitas datur pro majore.

Dubius autem controversusque inter eos est casus, quò centenorum solutionem à debitore v.g. Principe post annum venditor difficillimè, & non sine magnis laboribus ac sumptibus: emptor autem facile & absque expensis est recuperaturus: quò casu Haunoldus *cit. Tract. 10. n. 101.* adhibet distinctionem; vel enim, inquit, est præfectus ærarii aut alius officialis, cujus officium est Principis debitoribus ex ipsius ærario solutionem præstare: vel non est ejusmodi officialis, sed alius, qui ob singularem industriam, merita vel gratiam Principis facile obtinet? Si prius, emptionem usurariam aut saltem injustam, censet cum Salas *de Usuris dub. 27. n. 8.* & Lessius *cit. Lib. 2. cap. 21. n. 78.* ferè, sicut esset, si ab ipso Principe pro centum post annum solvendis anticipatò solverentur tantum nonaginta. Si posterius, emptionem ab injustitia & labe usuraria absolvit cum *citt. Molina disp. 361. n. 10.* Lessius *n. 76.* & aliis. Ratio est; quia ejusmodi debitum, spectatà communi æstimatione & seclusà gratiã & favore Principis atque industriã emptoris, minus

min<sup>9</sup> valet. Cum ergo debiti valor non ex statu & qualitate emptoris, sed communi æstimatione desumendus sit, in tali venditione in commutationibus observanda æqualitas non desideratur.

58. Octavum est Cambium, sive negotiatio, quæ pecunia pro pecunia cum moderato lucro permutatur: quod duplici modo fieri solet. Unò, quando mercatori sive campfori pecunia unius formæ & materiæ v.g. sestertii pro alterius formæ aut materiæ v.g. aureis nummis numeratur: quod Reale &, quia frequentius minoris formæ nummi pro majoribus permutantur, Minutum: uti etiam; quod pecuniæ numeratio à manu ad manum, ferèque eodem locò & tempore fieri consueverit, Manuale nuncupatur. Alterò, quando campfori pecunia in uno loco v.g. Ingolstadii numeratur, ut reddatur in alio, v.g. Romæ aut Viennæ, aut illic reddenda per literas mandetur: vel, quando à campfore pecunia hòc locò accipitur, ipsi vel ejus negotiorum gestori in alio restituenda: quod cambium vocatur Locale, & usu receptum est propter itinerrantes; ne pecunias magnò incommodò & periculò secum deferre cogantur, Covarruvias de Collat. Vet. numis. cap. 7. n. 4. & Molina cit. Trañ. 2. disp. 398. à n. 4.

Non defuere DD. qui campfores, ejusmodi negotiationem exercentes, Usurariæ iniquitatis condemnarent. Alii numerò & nomine potiores eos ab hac & quavis aliâ injusticia, neque immeritò, absolvunt; cum non desint iusti tituli ex tali permutatione ultra pecuniam permutatam aliquid exigendi: cujusmodi respectu campforum publicâ autoritate constitutorum specialiter est ipsum officium campforis & obligatio comparandi & paratam semper & sæpe diversissimæ sortis pecuniam habendi &c. deinde respectu eorundem, & aliorum talem negotiatio-

nem propriò motu in se suscipientium; lucrum ex aurea vel argentea moneta expensa cessans, damnum inde emergens: uti & commoditas negotiationis, quam una pecunia v.g. aurea præ alia habet; quòd facilius deferatur, alibi pluris valeat, & quavis merces eâ facile comparentur: præterea labor in pecuniis numerandis, in scribendis literis & rationibus conficiendis: Item sumptus faciendi in famulos peritos, & impensæ ac pericula subeunda in pecuniæ ex uno loco in alium trajectione: & demum æstimatio unius pecuniæ præ alia ob ejus raritatem, antiquitatem, materiæ puritatem, &c. De quibus latè Navarrus cit. cap. 17. à n. 282. Molina à disp. 399. n. 1. Lessius cap. 23. à n. 7. Laiman cap. 19. n. 3. & 6.

59. Nonum est Olla, ut vocamus, Fortunæ: cujus in Germania nostra aliquando usus & lex est; ut quot quis v.g. denarios numerat ejus domino, tot ex ea schedas, & quod eis descriptum est, tollat, forte omnino incertâ tamque variâ; ut aliquando, qui schedam unicam pro unico denario, scyphum aureum vel aliâ pretiosam mercem: contra, qui pro centum denariis totidem schedas extraxit, præter risum & ludibrium nihil referat; & vacuus discedat. Quod pactum, si non propter intentionem lucri ultra sortem capiendi, usurarium: saltè ob similitudinem cum lusu alearum, l. Solent 2. ff. l. 1. Et. C. de Aleator. Et l. fin. C. de Relig. & sumpt. prohibito, & inæqualitatem inter pecuniam collatam, remque sorte extractam, illicitum injustumque nonnemini videtur. At immeritò; cum non mutuum, sine quò usura non datur; neque etiam lusus, sed emptio sit, quâ non ipse scyphus aliave res extracta, sed ejus vel alterius pretiosæ mercis consequendæ cum pari jacturæ periculo conjuncta, & propterea non nisi denario æstimata, spes emitur, arg. l. Nec

*emptio §. 1. ff. de Contrab. empt. Cujusmodi emptio inæqualitatis, & ex ea redundantis iniquitatis non plus continet, quam emptio alterius lucrosæ spei v.g. jactis retis seu alterius piscium aviumque capturæ, §. cit. cujus pretiò, quia captura aliquando major, aliquando minor respondet, ipsum, eoque mediante facta emptio justa censetur, Canisius de Usuris cap. 4. n. 8. & cum eo Pirrhing ad hanc Rubr. n. 50.*

76. *Illaque pereunte aut inutili redditâ extinguatur.*  
 77. *Licita est venditio rei censualis, salvo jure Censualista:*  
 78. *Qui pacisci nequit de solutione anticipata.*  
 79. *Conditiones ad censûs emptionem requisitæ à B. Pio V.*  
 80. *Cujus saluberrima Constitutio nota ubique,*  
 81. *Et, ex toto, etiam in Germania non est recepta.*

## ARTICULUS V.

## De Emptione Censûs,

## SUMMARIUM.

60. *Censûs definitio.*  
 61. *Partitio in Reservativum & Consignativum,*  
 62. *Qui Realis vel Personalis:*  
 63. *Perpetuus vel Temporalis:*  
 64. *Redimibilis vel Irredimibilis,*  
 65. *Ex parte unius, vel utriusque est.*  
 66. *Licita est emptio censûs Realis,*  
 67. *Si ex parte solius venditoris:*  
 68. *Jure Naturali spectatò etiam, si ex parte emptoris redimibilis,*  
 69. *Vel ex parte utriusque irredimibilis sit.*  
 70. *Eò non pensio, sed istius percipiendæ jus emitur.*  
 71. *Censûs Personalis emptionem multâ tanquam Usurariam rejiciunt.*  
 72. *Alij, Naturali saltè Jure, non illicitum defendunt,*  
 73. *Et discrimen statuunt inter ejus emptionem ac mutuum.*  
 74. *Jus Naturale exigit, ut censûs super re, fructum aut lucrum ferente,*  
 75. *Et justò pretiò constituatur,*

**C**ensûs nomine hõc locò intelligitur Annuus reditus seu pensio pecuniaria aut fructuaria, vel potius jus, eam ex re vel persona alterius percipiendi, Navarrus *Comment. de Usuris n. 69. Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 22. n. 2. & Azor p. 3. Instit. lib. 10. de Censib. cap. 4. q. 1.* cujusmodi pensionem qui percipiendi jus habet, Censualista sive creditor, is verò, cui ejus solvenda obligatio imminet, Censuarius sive debitor vocari solet, Haunold. *Tom. 4. de J. & J. Tract. 10. n. 287.*

Est autem Censûs alius Reservativus, 60 alius Consignativus. Reservativò rei, v.g. prædii aut fundi, jus plenum sive dominium, tam directû quàm utile, in alterum transfertur, reservatâ pensione de fructibus ex eo provenientibus, vel pecuniariâ quantitate, ex eò quot annis præstanda, l. *fin. C. de Rer. permutat.* quò modò Joseph ab Ægyptiis prædicia, pro tritico accepta & pleni jure subiecta Pharaoni, istius nomine pristinis possessoribus restituit, pensione annuâ, scilicet quintâ parte fructuum reservatâ, *Genes. cap. 47. V. 24.* Consignativò prædii aut fundi dominus, ejus, tam utili quàm directo, dominio retento, alteri consignat seu concedit jus exigendi & percipiendi ex eo annuam pensionem fructuariam vel pecuniariam. Reservativû

servativi hodie rarus: & frequentior usus est ipsi affinis Emphyteutici contractus, à quo tamen differt; quòd istò utile duntaxat, Censu autem Reservativo etiam directum dominium transferatur; atque idcirco ex eo debitas pensiones non solvens prædii aut fundi dominium, etsi hoc emphyteuta canonem non solvens amittat, c. fin. de Locato § l. In emphyteuticariis 2. C. de Jure Emphyt. Censuarius tamen retineat: sed pensiones tantum extantes solvere teneatur, arg. c. Constitutus 6. V. Cum autem, de Relig. domib. Lessius cit. cap. 22. n. 5. & Haunold. n. 288. Cognitivus autem & hodie frequentior Census, licet aliis modis possit & soleat, frequentissimo tamen usu constituitur emptione, venditione: quâ prædii aut fundi dominus, vg. Titius, bis millenis sibi numeratis, Caio vendit jus, decem frumenti scaphas vel pensionem centum ex illo annuatim percipiendi. Quò modò constitutus census, quia mutui, ex eoque provenientiis lucrisive iniquitatis usurariae speciem refert, ad hanc Rubricam declarandus est, & à crimine illo vindicandus. Quod ut expeditius & clarius fiat, præmittere juvabit celebriorum quatuor ejus partitiones.

62. Primâ Census hic emptitiis alius Realis dicitur & alius Personalis: Realis est, qui constituitur in una vel pluribus certis rebus fructiferis vg. in prædio, agro, vinea, domo: ex quibus debetur, quemcumque habeant possessorem; quòd ad hunc ejusmodi res transeant instar servitutis, sive realis obligationis solvendi pensionem annuam, donec fuerit redempta. Personalis est, qui constituitur in certa aliqua persona, obligata ad solvendam annuam pensionem, ex industria, arte, officio, aut aliunde, non designatis unâ vel pluribus rebus certis, ex quibus ea sit præstanda: licet aliquando, ad debiti

solutionem obtinendam, in re aliqua certa creditori hypotheca constituitur, cit. Lessius n. 7. Laiman. n. 2. & Haunold. n. 292, inter hos census eam statuens differentiam; quòd re, in qua Realis constitutus est, pereunte, pereat Realis: Personalis autem, saltem re, quæ in ejus securitatem hypothecata & creditori obligata est, pereunte, non pereat: sed casu, quò censuarius sive debitor ad censum solvendum impotens redditur, ex re hypothecata, etiam alienata, exigi possit: quantumvis aliàs, personam ad censum solvendum impotentem, solvendus non esset.

Alterâ, Census alius Pecuniarius, alius Fructuarius dicitur, prout solvendus est in pecunia vel fructibus, hisque vel in quantitate certa & determinata eademque semper, non attentâ anni fertilitate vel sterilitate: vel in indeterminata & aliquota vg. in quarta aut sexta parte fructuum colligendorum: quæ non eadem semper est, sed aliquando majorem, aliquando minorem fructuum quantitatem constituit pro majori vel minori annorum fertilitate.

Tertia est in Perpetuum & Temporalem: quorum census ille nullum certum terminum habet, sed vi conventionis perpetuò durat: iste verò ad certum vg. decem aut viginti annorum, vel incertum tempus vg. ad contrahentium alterius vitâ constituitur: & si ad censuaria vitâ constituitur, Vitalitiis vocatur.

Quarta in censum Redimibilem, aliquando quidem ex parte solius venditoris seu debitoris, ut ipsi liceat, restitutò pretiò, à census solvendi obligatione se liberare: vel ex parte emptoris seu creditoris, ut resignato censu pretium repetere: aliquando verò ex parte utriusque, ut, sicut venditor restitutò pretiò à censu liberari: sic resignato censu pretium

H h 3                  repetere

65. repetere emptor valeat: & Irredimibilem, qui neque à venditore pretium restituente, neque ab emptore id sibi restitui petente, invito alterò, tolli potest: licet utroque volente utique redimi semper possit. Ita DD. citr.

66. Dubium nunc &, sicut usùs momentique maximi, sic difficilis resolutionis controversia primò est de honestate Censùs Realis; hujusmodi enim novi censùs emptionem, tanquam iniquam & usurariam, rejiciunt ex TT. Henricus *Quodlib.* 1. q. 39. & *quodlib.* 8. q. 24. ex ICT. is Salycet. in *Auth. Ea lege C. de Usuria in fine*, qui tamen de alia specie contractùs loqui videtur: & Hotomannus *Lib. 2. Observat. cap. 15.* sed Apostolica decreta insectandi potiùs, quàm investiganda stabilienda: que veritatis studiò ductus, Obvia etiam, & primo intuitu minimè levia sunt momenta rationum, quibus ejus honestas impugnatur.

Primò enim contra eam facit; quòd usura secundùm omnes DD. sit, pecuniam præsentem dare pro majore ejusdem quantitate reddenda in futurum: quod facit emptor censùs Realis, tam redimibilis, quò pro jam numeratis 100. post annum 105. quàm irredimibilis, quò pro 100. nunc datis in perpetuum singulis annis 5. ab eo exiguntur, etiam post viginti annos, intra quos 100. jam sunt recepta.

Secundò; quòd proprius & primarius pecuniæ usus sit, ut per eam ceteræ res æstimentur: non, ut ea sit sui ipsius æstimatio, sicut contingit in emptione censùs, saltem ejus, quò emitur census seu pensio annua solvenda in pecunia, contra istius naturam; quia pecunia, tanquam res sterilis, ex se fructum non producit: sed ipso usu quodammodo consumitur, §. *Constituitur 2. Institut. de Usufructu Gaill. Practic. Lib. 2. Observat. 7. n. 1.*

Tertiò; quòd non appareat, quid ejusmodi censùs constitutione ematur; Neque enim primò emitur sola pensio; quia sic manifesta inæqualitas esset inter venditorem & emptorem; cum ille plus det, quàm ab isto acceperit; cum iste acceperit 100. & post annum reddat 105. Neque secundò pensio cum dilatione solutionis; sic enim propter solam moram temporis, cessante alio justo titulo, amplius exigeretur: quod usurarium esse, exploratum est ex dictis n. 12. & n. 50. Neque tertiò jus ad pensiones annuas percipiendas, cum; quia emptio & venditio sine re constare non potest, l. *Nec emptio 8. pr. ff. de contrab. empt.* tum verò; quia jus ad pensiones percipiendas tanti æstimatur, quanti ipsæ pensiones percipiendæ; ac proinde, sicut pensiones, sic eas percipiendi jus emi sine inæqualitate & iniquitate non potest.

His tamen rationibus nihil moti TT. & ICT. i. moderni, novi censùs, tam pecuniarii quàm fructuarii, constitutionem emptionemque ab usuraria & omni alia iniquitate magno consensu absolvunt cum Panormit. in c. *In civitate 6. n. 6. Felic. de Solis Lib. 1. de Censibus cap. 7. Covarruvia Lib. 3. Var. cap. 2. n. 2. Avendano Lib. 1. de Censib. cap. 16. n. 2. Lessio sit, cap. 22. n. 13. Molina Tract. 2. de I. & T. disp. 385. n. 8. & Laiman. Lib. 3. tract. 4. cap. 18. n. 8. Moventur auctoritate Martini V. & Calixti III. Extravag. *Regimini 1. & 2. inter commun. de Empt. & vendit.* disertè approbantium censum Realem, si in ejus emptione observetur pretium consuetudine vel statuto taxatum: quod in Germania nostrâ sunt centum pro quinis. Ratio est; quia finito & determinato pretio licitè emitur partus & fructus futurus, l. *Nec emptio 8. pr. ff. de Contrab. empt.* usufructus si ve jus percipiendi fructus prædii alieni, l. *Necessa-**

1. Necessario §. 8. ff. de Periculo rei vendita & ceteræ servitutes v.g. itineris, aquæ ductûs; §. fin. Instit. de Servitut. Cur non etiam census Realis, qui est quædam quasi servitus & pars quædam usûsfructûs? cum sit jus percipiendi partem fructû vel pensionem pecuniariam huic æquivalentem. Confirmatur; quia potest quis alteri in bonis suis constituere jus percipiendæ pensionis titulò donationis. Ergo etiam titulò emptionis; quia, quod emitur, non minoris valet eò, quod donatur.

67. Atque hæc omnino procedunt imprimis de Censu Reali redimibili ad arbitrium solius venditoris; quia hic ulli usuræ suspitioni vel præsumptioni obnoxius non est: & propterea *Extravagg. cit.* & Pii V. *Constitut.* quæ incipit *Cum onus, de Censibus*, editâ 14. Calend. Februarii 1568. expressè approbatur: dummodo pretium statutò aut moribus receptû observetur. Neque id immeritò; cum aliæ venditiones cum pacto redimendi ad arbitrium venditoris sint permissæ, l. *Si fundum 2. C. de Pall. inter Empt. & vendit.*

68. Deinde, spectatò Jure Naturali, verisimiliùs etiam de redimibili ex parte utriusque, tam emptoris quàm venditoris, cum; quia contractus ex conventionne legem accipiunt, *Reg. Contractus 23. ff. § 85. in 6.* & pactum redimendi ex parte utriusque aliis emptionibus apponi potest, per tradita à *citt.* Covarruvia *cap. 8. n. 1.* Lessius *cap. 21. n. 120.* ut supra *Lib. 3. tit. 17. à n. 21.* dictum: tum verò; quia onus, pretium remisso censu reddendî, ad æqualitatem compensari potest pro censu majus pretium solvendò, *citt.* Lessius *cap. 22. n. 56.* Laiman, *n. 5.* & Pirrhing *ad banc Rubr. n. 71.* Jure, inquam, *Naturali*; quia Positivò, si non

nem venditori permittunt, saltem à Pio V. *Constitut. cit.* & Carolo V. Imp. in Comitibus 1548. & 50. Augustæ celebratis, hujusmodi utrinque redimibilis census expressè prohibitus fuit; propter periculum usurariæ intentionis, quæ facillè subest & præsumitur in foro externo, Laiman, *cit. cap. 18. n. 6.* Engel *ad banc Rubric. §. 2. n. 22. V. Verum quidem & cit.* Pirrhing *n. 72.*

Demum eadem, Naturali Jure spectatò, etiam procedunt de irredimibili, *citt.* Lessius *cap. 22. n. 34.* Laiman, *n. 3. § 7.* & Haunold. *Trat. 10. n. 338.* partim propter paritatem cum perpetua & irredimibili emptione usûsfructûs; quòd enim juris est de toto quoad totum, de parte est quoad partem, l. *Qua de toto 76. ff. d. R. V.* partim; quòd venditori impositum onus, ut census nequeat redimi, auctò pretiò valeat compensari, ut rectè observant Card. de Lugo *de I. & I. disp. 27. n. 111. in fine & cit.* Pirrhing *n. 69.* Dico iterum, *Jure Naturali*; quia *citt. Extravagg.* Pianæque & Carolinis *Constitutionibus* ad censum exigitur; ut eò, quò venditus est, pretiò redimi valeat à venditore, Haunold, *cit. n. 338.*

Neque Realis census hæcenus declarati honestatem convellunt aut accipientem reddunt contra eam deducta argumenta. Primum, partim; quia non solum rei extantis, sed & futuræ, v.g. partûs aut fructûs, piscium aut avium captûs, usûsfructûs & servitutum emptionem rectè fieri, ex deductis abundè constat: partim verò; quia, quòd in hoc contractu pecuniâ emitur, non est ipsa pecunia vel pensio; hoc enim non admitteret natura emptionis, quâ pretiò pecuniariò non pecunia, sed merx comparatur: sed jus præsens, pensionem fructuariam aut etiam pecuniariam ex re certa percipien-

percipiendi, eique ex parte venditoris respondens hanc solvendi obligatio: quod jus incorporeum pretio æstimabile & vendibile non minus est, quàm jurisdictio, jus percipiendi tributum, vel eundi per fundum alienum, *citt. Covarruvias n. 2. Molina disp. 385. n. 9. & Canisius cap. 10. n. 4.* Atque hoc jus, licet perpetuum sit, ejusque vi emptor non raro plus, quàm dedit, accipiat, omnis tamen inæqualitas evitatur; quia jus percipiendi minoris valet, & non solum propter periculum censûs amittendi re, in qua is constitutus est, pereunte, quod in mutuo non fit: sed etiam propter molestias & expensas sæpe subeundas pro perceptione censûs, & aliquando propter impossibilitatem recuperandæ sortis, sive pretii: quod emptor ad lucra faciendâ & damna evitandâ sæpe indigeret, ut cum aliis DD. *citt. observant Palao Tract. 32. disp. 6. p. 10. n. 2. & Haunold. Tract. cit. n. 302.*

71. Dubium alterum & controversia major est de honestate censûs Personalis; hunc enim, tanquam injustum & usurarium, cum Navarro *Comment. de Usuria n. 8.* rejiciunt Guttierrez *Lib. 2. Pract. q. 177. n. 7.* Fachineus *Controvers. Lib. 2. cap. 44.* & alii magni nominis DD. partim; quod hujusmodi censûs emendi licentia expeditum reddat exercitium usurarum; cum his intenti lucrum, quod vi mutui quærere pœnarum metu non audent, percipere valeant emptione censûs personalis: partim verò; quod iste reipsâ non differat à mutui usurario contractu; cum ex una, mutui & usurarius contractus sit, quod ex auro aurum nascitur, *can. Sicut 8. V. Interdum, disp. 47.* ex altera verò parte, censu personali immediatè aurum sive pecunia, scilicet pensiones annuæ comparentur; cum, sicut emens jus accipiendi equum, reipsâ emit

ipsum equum, ita emens jus exigendæ pensiones, ipsas pensiones emere videatur, ut arguit *citt. Haunoldus n. 306.*

Sed etiam hæc, quantumvis minime levia momenta rationum, eâ vi non pollent, ut probabilitatem adimant Opinioni Panormit. *in c. In civitate 6. n. 7. Felic. de Solis Lib. 1. de Censib. cap. 8. à n. 4. Covarruvias cit. cap. 7. n. 5. & 6. Gaill. Practic. Lib. 2. Observat. 7. n. 13. Lessii cit. cap. 22. n. 8. Laiman. cit. cap. 18. n. 7.* & aliorum, qui censum etiam merè Personalem ex natura sua, neque usurarium, neque injustum esse, defendunt Primò propter dicta de Reali. Secundò; quia censum personalem emens minus certus ac securus est de recipiendis annuis pensionibus, quàm emptor censûs Realis. Tertio; quia persona gratis in se recipere valet obligationem partem aliquam lucri, ex arte, industria, negotiatione &c. provenientis, alteri solvendi. Cur non etiam acceptò pretiò ad ejusdem præstationem se obligandi? Quartò; quia ejusmodi pensionis solvendæ obligatio imponi potest lege; sic enim decimæ personales, *can. Decima 26. q. 1. c. Ad Apostolica 20. c. Non est 22. & c. Pastoralis 28. de Decimis & tributa Regalia, l. fin. §. 1. ff. de Contrab. empt. sunt introductæ. Cur non perinde, ut aliqua servitus. emi? præsertim, cum ejusmodi obligatio pretiò adæquare possit.*

Neque aliud evincunt contra hujus censûs honestatem adductæ rationes. Prior; quia via ad usuras non ita, ut videtur, redditur expedita; hoc ipso enim, quod periculum sit juris ad pensionem interituri: & pretium repeti non possit, lucro quarendo intentus contractum mutui utique præferet censuali.

Posterior; quia imprimis latum discrimen est inter talem censum & mutuum; quia

em; quia imprimis census ferè emitte-  
à personis, quæ ex sua industria lucrum  
faciunt: & cum id facere non possunt,  
annuæ pensiones non solvuntur, & ali-  
quando omnino extinguuntur: sicut in  
censu reali, intereunte re, ex qua census  
est emptus, istius solvendi obligatio ex-  
tinguitur & pretium repeti non potest,  
Laiman. l. cit. n. 8. Deinde; quia, si  
census irredimibilis, vel ex parte solius  
venditoris redimibilis sit, repeti ab em-  
ptore nequit pretium: quod tamen mu-  
tuanti licet, etsi debitor sit invitus, En-  
gel cit. §. 2. n. 23. Demum; quia, e-  
mere jus exigendi pensionem, non est eme-  
re ipsam pensionem; quia jus de facto  
datur & minoris valet, quàm pensiones,  
si essent præsentis, Pirrhing ad hanc Ru-  
bric. n. 75.

74. Dixi autem, Ex natura rei, sive Spe-  
cialiò præcisè Jure Naturali; quia Eccle-  
siasticò census personalis emptionem illi-  
citam esse, res est omnino explorata. In  
quam rem aliqui allegant cit. & Juris  
Communis Corpore clausas Constitutio-  
nes Martini V. & Calixti III. approban-  
tium solos census, qui in una, vel pluri-  
bus certis rebus immobilibus, fructiferis,  
proventus ad census solutionem sufficien-  
tes reddentibus, & quæ solæ pro censu  
sint obligatæ, justò locique consuetudi-  
ne approbatò statimque numeratò pretiò,  
cum libera facultate censum totum vel e-  
jus partem, pretiò vel istius parte resti-  
tutò, redimendi, constituuntur: réque  
vel rebus, in quibus constituti sunt, de-  
structis & peremptis (pretiò non restituo-  
tò) extinguuntur. Sed malè, quia lau-  
dati summi Ecclesiæ Antistites, sicut cen-  
sus ita constitutos Apostolicâ authorita-  
te approbârunt, sic aliter constitutos non  
reprobârunt; cum de illis solis sint con-  
sulti: eosque approbandò non constitue-  
runt formam, etiam in censuum realium  
aliorum constitutione, ut honesti justi-

que sint, necessariò observandam, ut cum  
Navarro l. cit. n. 78. Soto Lib. 6. de Jus-  
sitiâ q. 5. art. 1. Covarruvia cit. cap. 7.  
n. 6. & aliis moment cit. Lessius n. 78.  
Molina disp. 389. n. 4. Palao p. 15. n. 2.  
& Pirrhing n. 82. Quare melius perso-  
nalis census emptionem Ecclesiastico Jure  
veritam, cit. aliique DD. desumunt ex  
Constitutione B. Pii V. quæ incipit Cum  
onus, 14. Calend. Febr. 1568. publicata, ut  
ex paulò post referendis conditionibus,  
eâ præscriptis, planum erit.

Dubium tertio est de conditionibus  
Jure requisitis ad emptionem census honesta-  
tem. Variæ ad hanc à DD. at non eò-  
dem omnnes Jure necessariæ, exiguntur.  
Naturali enim ad eam quatuor saltem ne-  
cessariæ, cum Tannero Tom. 3. disp. 4.  
q. 7. à n. 117. existimat Pirrhing ad hanc  
Rubric. n. 78. Prima est; ut census con-  
stituatur in re frugifera seu tali, quæ  
frugifera reputetur, reddatque fructus  
seu redditus, ex quibus census possit sol-  
vi: ut sunt prædia, fundi, domus, gre-  
ges ovium, imò etiam pecunia, dum-  
modo ea exposita sit negotiationi: & si  
census personalis sit; ut persona arte, in-  
dustria, operâ suâ percipere valeat lu-  
crum, vel saltem habeat bona aliqua un-  
de censum seu pensionem annuam solvat,  
Medina de Usura q. 11. & Lessius cit. cap.  
22. n. 21. Secunda; ut censum annuum 75.  
inde percipiendi jus ematur pretiò justò,  
lege vel consuetudine, aut his deficienti-  
bus, prudentum virorum arbitriò taxan-  
dò: cujusmodi pretium in Imperio Ro-  
mano ex Constitutione Caroli V. in Co-  
mittis Augustanis 1548. edita sunt cen-  
tum pro quinis; & in locis; in quibus  
certa quantitas definita non est, cen-  
tum pro paucioribus vel pluribus annis  
esse possunt, Navarrus Comment. de U-  
sura n. 104. & cit. Lessius n. 101. Ter-  
tia; ut casu, quò res censualis citra cul-  
pam tamen censuarii perit, etiam pensio-  
nis sol-



nis solvendæ obligatio extinguatur, *citt. Lessius n. 88. & Molina disp. 390. n. 6.* eodemque modò extinguitur census personalis, si persona ad lucrum percipiendum reddatur inhabilis, vel amittat bona, ut ad censum solvendum impotens sit. Quarta; ut res, ex cuius fructibus seu annuis redditibus census solvendus est, creditore sive censualistâ infcio & invito non alienetur in eum, à quo census solutio, vel simpliciter, aut sine difficultate, nequeat obtineri, Sotus *Lib. 6. q. 5. art. 3.* cum hâc ratione censualistâ jus deterius redderetur.

77. His conditionibus accedit quinta; ne exigatur & in pactum deducatur solutio anticipata, ut venditor sive censuarius pensionem annuam vel semestrale pro primo anno vel semestri debitam solvere cogatur statim post pretium numeratum, eamque emptor seu censualista de numerato pretio detrahare possit; quia, effectu spectato, hoc modo venditori pretium non totum numeratur ad liberum ejus usum; cum, statim detracto primi anni vel semestris censu, non percipiat totum, quod ei debitum est pro annuâ vel semestralis pensionis solvendæ obligatione, *citt. Lessius n. 81. Palao p. 16. n. 9. & Haunold. n. 330.* qui tamen rectè monent, pactum de solutione anticipata Naturæ Juri contrarium non fore, si talis solutionis præstandæ onus aliâ ratione compensaretur.

79. Ultra has condiciones ad emptitii census honestatem *citt. Constitutio.* Piana exigit Primò; ut is in re frugifera non quavis, sed immobili certâque & nominatim designata constituatur; ac proinde rejicit & antiquat censum personale. Secundò; ut census constituatur, pretiò sive pecuniâ, quâ ejus percipiendi jus emitur, in ipso contractu censuario numeratâ coram tabellione seu notario &

testibus; ut hi ejus recepti fidem facere possint. Tertiò; ut census jam constitutus non augeatur, vel novus super eadem re ex pensionibus jam debitis, sed non solutis, vel in posterum solvendis fundetur; uti &; ne semel ritè constituti census pretium augeatur vel minuatur ob circumstantias supervenientes. Quartò; ut censuario semper, & eò, quò constitutus est, pretiò censum redimendi facultas relinquatur: dummodo bimestri antè censualistam præmoneat: quò tamen factò, ad eum intra annum redimendum compelli potest. Quintò; ut idem censuarius seu venditor ullò pacto ad census redemptionem non adstringatur: quâ conditione removeretur census ex utraq; parte redimibilis; quem etiam Carolus V. vetuit Imperiali *Constitutione*, in Comitibus Augustanis editâ 1548. Sextò; ut idem rem censui subjectam liberè, & sine ulla laudemii seu quinquagesimæ partis aut alterius quantitatis solutione, valeat alienare. Septimò; ut, cum eadem res venditur, aliis emptoribus (Retractûs jus non habentibus) censualista præferatur, ei que pretium & condiciones, quibus ea vendenda est, denuntientur, & de ejus emptione delibrandi spatium mensurum concedatur. Octavò; ne censuarius ullò modò obligetur ad præstandos casus fortuitos & alia onera, ad quæ ex natura contractûs non tenetur. Nonò; ne pacto obligetur, ut re censui subjectâ, totâ vel ejus parte pereunte, vel inutili redditâ, census nihilominus totus pendatur; quâ conditione assecurationis pactum removeri DD. volunt. Decimò; ne idem censuarius pacto obligetur ad solutionem onerum, quæ aliâs ex natura contractûs ad eum non pertinent: uti &; ne idem ad rei censui obnoxie vel alicujus partis amissionem, vel ad certam pœnam ob no-

ram in

ram in solutione pensionis solvendam, vel ad interesse lucri cessantis, aut certas expensas factas ex pacto obligetur; quantumvis enim alias censuarius, sicut ad damni, ex culpabili mora emergentis, sic etiam ad lucri cessantis interesse & moderatam poenam teneatur, eaque exigi postea valeant, ad intentionem tamen & iniquitatem usurariam removendam in pactum deduci prohibentur.

80. Has Naturali Jure necessariis contractibus censuali conditionibus superaddidit Beatissimus pariter Sapientissimusque Papa Pius V. cujus utique saluberrimam, & ad hominum, injustis atque usurariis lucris inhiantium, & excogitatis in dies novis conditionibus & contrahendi formis, egentium fortunas absorbentium creditorum, fraudes efficacius excludendas promulgatam Constitutionem ubique in usum deduci, res quidem exoptata, sed obtenta non est. Quin, ne ad ejus, quoad condiciones, quæ Naturalis aut Divini Juris non sunt, observantiam adstringeretur Hispania, summo Pontifici illi à Rege Catholico Philippo II. supplicatum, eamque supplicationem sine contradictione admissam, perhibent Gutierrez *Prætic. Lib. 2. q. 177. in fine*, Felician. *de Solis Lib. 1. de Censib. cap. 7. n. 2.* & aliis relatis cit. Paolo p. 15. n. 6.

81. Eamque quoad condiciones illas in Gallicanis, Belgicis & Germaniæ nostræ provinciis in usum non deductam, testes sunt laudati Lessius n. 98. Tannerus n. 131. Haunold. n. 316. & Pirrhing n. 84. De quo quidquid sit, sicut super re immobili non fundatos censu, ubi eorum usus, saltem locorum flatutis & prudentum ac timoratorum vizorum judicio approbatus viget, non damnandos, ita dissuadendam existimo emptionem census personalis, præsertim ædificabilis ex parte emptoris; propter

periculum intentionis ac fraudis usurariæ, sub pallio censuali facile latentis.

## ARTICULUS VI.

## De Anatocismo, sive Usuris Usurarum.

## SUMMARIUM.

82. *Illicita sunt Usura usurarum lucrativa.*  
 83. *Compensatorie Naturali permitta:*  
 84. *Verita tamen sunt Jure Positivo:*  
 85. *Nisi ex usuris in sortem redactis percipiantur.*  
 86. *Eas ex usuris, in sortem brevi manu redactis, aliqui permittunt.*  
 87. *Verius illicita sunt.*  
 88. *Uti & Censuum censuum in sortem non redactorum.*  
 89. *Discrimen inter hos & usuras usurarum.*

Usuræ usurarum dicuntur lucrum, quod ex lucro usurario non soluto, ultra hoc & sortem, exigitur à debitore, v.g. si, qui 1000. pro 50. annuatim solvendis credit, propter hos constituto tempore non solutos, altero anno elapso, ratione eorundem 1000. creditorum alios 50. & ratione 50. pro primo anno debitorum & non solutorum, duos cum dimidio exigit à debitore. Cujusmodi usuras, si merè lucrativæ sint, perinde, imò multò magis, quàm eas, quæ vi mutui solius ultra sortem creditam exiguntur, non humanò tantum, l. *Placuit 29. ff. de Usuris & l. Improbum 20. C. Ex quibus caus. infam. irreg.* sed Divinò quoque, ac Naturali Jure esse illicitas, indubitatum est ex dictis à n. 8.

li 2

Si autem

83. Si autem Usuræ usurarum, sive duo illi cum dimidio, non vi mutui, sed ratione alterius tituli, vg. damni emergentis aut lucri ex usurarum, scilicet 50. ultra sortem debitorum, dilata solutione cessantis exigantur, sicut 50. qui vi ejusmodi justii tituli annuatim percipiuntur, sic etiam duorum illorum cum dimidio exactio Naturali & Divino Juri non adversatur. Jure tamen Positivo reprobata etiam ipsa est *citt. aliisque ll. in tantum*; ut, licet usuræ usurarum promissæ fuerint, non tamen debentur: & solutæ conditione indebiti repetantur, *l. Si non sortem 26. §. 1. ff. de Condit. indebiti.* Unde
84. Dubium oritur, an hujusmodi usuræ exigi etiam nequeant ex usuris redactis in sortem, qui credendi modus à DD. vocari solet Anatocismus. Non quidem, si usuræ compensatoriæ aut moratoriæ, jam perceptæ debitori denuo sic credantur; ut ratione lucri ex ipsis cessantis &c. post annum duo cum dimidio ultra 50. de novo creditos sive sortem reddantur; cum enim tali calu usuræ perceptæ ac denuo creditæ, perinde ut milleni primò crediti, evadant fors, & sint aliquid principale, non apparet, cur ex iis iterum &, sicut alteri, sic eidem creditis percipi nequeat compensatio lucri cessantis aut damni, si quod inde emergat.
85. Sed, si nondum sint solutæ; has enim debitori sub obligatione solvendarum usurarum compensatarum denuo credi posse, aliqui defendunt & suadent Primò; quòd non appareat ratio, cur solutæ debitori reddi & in novum mutuum converti; & non etiam ante solutionem relinqui &, ut vocant, Brevi manu credi possint, *Mavii p. 4. decis. 213.* Secundò; quia, si facta usurarum condemnatione sequaturque taxatione debitor taxatam quantitatem præfixâ tempore non solverit, ab eo tempore ex usuris quasi in sortem redactis, usuras, sicut ex usuris solutis & iterum creditis, deberi, Pragmatici passim volunt, teste *Fabro de Erroribus Pragmat. decad. 20. Errore 1.* Tertio; quia ex contractu censuali debiti & non soluti census mutuo consensu ita brevi manu redigi in sortem possunt, ut cum *Gaill. Practic. Lib. 2. Observat. 7. n. 5.* & *Bruneman, in l. fin. C. de Usuris n. 2.* docet, & de Jure verissimum censet *Magnificus D. Collega Dominicus Bassus Semicent. Controvers. 38. n. 6. §. 11.* Cur non idem brevi manu fieri queat in usuris, saltem compensatoriis, debitis ex mutuo?
87. Sed Anatocismus illicitum, ac proinde usurarum, sic in sortem redactarum, usuras exigi Jure posse, cum *Roderico de Reddit. annuis Lib. 3. cap. 7. n. 27.* & aliis DD. *in l. fin. C. de Usuris* merito negant *Barbosa n. 1.* *Bruneman. n. 2.* & alii, permoti istius legis dispositione, quâ à Justiniano Imp. ingeniosæ avaritiæ ceneratorum, usuras usurarum antiquiori Jure, *l. Si non sortem §. 1. Placuit citt.* jam prohibitas, ex usuris brevi manu in sortem redactis, reipsâ in dictarum legum fraudem, percipientiis, providè occursum: &, sicut usuræ usurarum, sic etiam interesse de interesse prohibitum fuit. Ratio reddi solet; quòd accessio accessionis, fructuum fructus, servitutis servitus & lucri lucrum, quòd sicut in usuris usurarum, sic etiam in interesse alterius interesse reperitur, de Jure non detur.
- Pro Anatocismo sive hujusmodi usurarum usuris allata magni ponderis non sunt. Primum; quia inter propositos duos casus latum discrimen, ex parte tam creditoris quàm debitoris, intercedit; cum multò facilius ille pecuniam non vi fam mutuò det, quàm actu numeratam & rece-

Creceptam: iste verò multò promptius promittat usuras usurarum, quàm istas solvat: eamque ob causam per Anatocismum debitores ære alienò facile opprimantur, Bruneman. *cit. n. 2.*

Alterum; quia ab Imp. etiam rei iudicatæ usuræ, quæ ratione usurarum non solutarum percipiuntur, sublatae sunt *l. Sancimus 3. C. de Usuris rei iudic.* ut quantumvis debitor, tam ad fortis, quàm ad usurarum præteritarum solutionem sit condemnatus: & tam illà, quàm his in unam massam per sententiam confusis, totius debiti novatio facta videatur, usuræ tamen ex forte duntaxat, non ex usuris debitis sint solvendæ, ut idem *n. 3.* observat.

88. Postremum; quia imprimis, sicut usurarum usuræ ab Imp. ita censuum census à B. Pio V. *Constitutione*, quæ incipit *Cum onus*, 14. Calend. Febr. 1568. publicatâ prohibiti sunt, conditione 7. vel 8. ad contractum censualem requisitâ, & à Canisio *de Usuris cap. 11. n. 4.* & Haunoldo *Tom. 4. de J. & J. Tract. 10. n. 350.* relatâ. Unde saltem in provinciis, in quibus illa usu recepta est, census non soluti in fortem redigi, eorùmque usuræ exigi non possunt. Dein; quia alia census annui, & alia ratio est usurarum; cum istæ ex mutui, ille ex vero emptionis venditionis, ab illo omnino diversò, contractu solvatur: & idcirco, sicut quæ de usuris statuta sunt, censibus: sic, quæ de usuris ex usuris non solutis & in fortem redactis *ll. cit.* decreta sunt, usuris, quæ ex censibus non solutis & forti adjectis percipiuntur, non rectè applicantur, Brunemannus *cit. n. 2.*
89. Demum; quia lucrum, quod vi mutui percipitur, aliquid forti creditæ accessorium est; non etiam census annui pretio, quò eos percipiendi jus emi solet; cum ejusmodi census percipiendi jus habeat rationem mercis emptæ; & propterea, sicut censum percipiendi jus, ita quos jus hoc

respicit, census sive pensiones annuæ, non aliquid accessorium pecuniæ sive pretio, quo comparantur: sed sicut aliæ merces cum oneribus suis commoditatibus & utilitatibus principale sive primarium erunt, ut rem hanc eruditè explicat Gailius *Observat. 7. cit. n. 5. & 6.*

## ARTICULUS VII.

## De Usurarum Dominio &amp; Restitutione.

## SUMMARIUM.

90. Usuras solvere non tenetur mutuatarius.
91. Fenerator tenetur ad solutarum restitutionem.
92. Is tamen rerum usurariarum cum suis permixtarum vel confusarum:
93. Non etiam aliarum dominium acquirit.
94. Idem dominus fit rei pecuniæ usurariæ emptæ.
95. Non etiam fructuum rei usurariæ frugifera:
96. Pretij tamen ejus venditæ dominus fit evadit.
97. Restituendi obligationem etiam usuramentalis:
98. Non etiam mentalis Simonia inducit.
99. Ad usurarum restitutionem etiam Judæi tenentur.
100. Et compelli jure possunt.
101. Easdem restituendi obligatio tranfit ad hæredes:
102. Non tamen ultra hæreditatis vires:
103. Neque etiam ad plurimum singulos in solidum:

104. *Nisi res Usuraria penes ipsos extet,*  
 105. *Vel Usurarum restitutio facta non sit ipsorum culpa.*

90. **M**utuatariū ad usurarū merè Locratoriarum solutionem vi simplicis promissionis non obligari, & Religione Juramenti earum promissioni adjecti, solutas repetere posse, ex *c. Debitores 6. de Jurejurando*: creditorem verò ad solutarum restitutionem in utroque foro teneri & compellendum, ex *c. 1. eadem, c. 1. c. Cum tu 5. &c. hęc Rubricā perspicuum est; cum enim fenerator furi & raptori equiparetur, can. Si quis usuram 14. q. 4. sicut hi ad ablatæ rei alienæ, sic ipse quoque ad percepti lucri usurarii restitutionem obligabitur. Ratio generalis est; quia peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, *c. Cum tu cit. & Reg. Peccatum 4. in 6. Unde**
92. Dubium oritur primò de ejusmodi usurarum dominio. Non quidem, si usuraria pecunia, frumentum, aliavè res fungibiles cum sorte, sive aliis ejusdem rationis rebus propriis, à creditore permixtæ sint aut confusæ, ut ab his discerni non possint; hoc enim casu, sicut furtivarum cum suis à fure, sic usurariarum &c. cum propriis permixtarum aut confusarum dominium à creditore acquiri, meliores TT. & JCT. plerique facile concedunt, & desumunt ex *§. Quod si 28. Instit. de Rev. divis. & l. Si alieni 78. ff. de Solutionibus*. Sed, si pecunia vel aliæ res usurariæ seorsim traditæ cum aliis permixtæ aut confusæ non sint; hoc enim casu non satis convenit inter DD. nam Glossa in *can. Si quis cit.* Paludanus in *4. dist. 15. q. 1. art. 5. & VV. alii*, quos ex RR. secutus est Card. de Lugo Tom. 2. de *J. & J. disp. 25. n. 208.* etiam hujusmodi pecuniæ, & alterius etiam rei per usuram

extortæ, dominium, quantumvis debile & restitutioni obnoxium, acquiri volunt, eâ ducti ratione; quòd ex una, eas solvens consentiat in domini translationem; ex altera verò parte, consensu cum traditione conjuncto rerum dominia transferantur, *§. Per traditionem 40. Instit. de Rev. divis. & l. Traditionibus 20. C. de Pactis*. Alii contrà cum D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 3. ad 3. Sylvestro *V. Usura 6. q. 1. Covarruvia Lib. 3. Var. cap. 3. n. 6. Lessio Lib. 2. de J. & J. cap. 20. n. 158. & Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 326. n. 7.* rerum per usuram extortarum dominium à feneratori acquiri, meritò negant; quòd ad acquirendum verum dominium non sufficiat sola traditio; sed insuper venditio aliavè justa causa, ex qua ea facta est, requiratur, *l. Nunquam 31. pr. ff. de Adquir. rer. dom. quæ in usurarum traditione aperte desideratur; cum ejusmodi causa sive titulus non sit ipse contractus mutui; quia hoc non inducit obligationem solvendi, aut jus exigendi aliquid ultra sortem, c. 1. &c. Cum tu cit.* Neque debitoris sive mutuatarii promissio; quia hæc nullam obligationem parit, *c. Debitores cit.* Neque ejusdem, rem promissam tradentis voluntas; quia is per traditionem in creditorem transferre non intendit plus, quàm ei debetur & ipse solvere ex justitia tenetur, *Zæsius ad hanc Rubr. n. 23.*

Confirmatur primò; quia usuras restituere tenetur perinde, ut raptor & fur, *can. Si quis cit.* qui rei furtivæ & vi ablatæ dominium non acquirunt, *l. In re 8. & l. Sive manifestus 10. ff. de Condit. furtiva.*

Confirmatur secundò; quia rei fructifera per usuram extortæ fructus omnes, tam quos inde percepit, quàm quos percepturus mutuatarius fuisset, restituere tenetur, manifestò indicio domini remanentis penes mutuatarium: cui aliàs solam

folam æstimationem lucrî cessantis; ac proinde eos tantùm fructus, quos percepturus fuisset, restitueret. Unde corrumpit ratio in contrarium adducta, &

94. Dubium secundò oritur, an pari modò non acquirat dominium rerum pecuniã vel aliã re usurariã comparatarum. Quod resolvendum est auxilio distinctionis inter rem usurariam; cum, si ea sit pecunia, feneratori rerum, istã emparã, dominium acquiri, clarus textus *l. Qui aliena §. C. Si quis alteri vel sibi §. c.* & perspicua ratio sit; quòd tales res non sint fructus pecuniã, utpote ex se steriles: sed industria; & propterea depositarius, fur & uxor id, quod ex deposita, furtiva, vel mariti defuncti & ad ejus filium pertinet pecunia acquirunt, sibi, non aliis acquirant, *l. Si ex ea §. C. de R. V. l. Qui vas 48. §. 7. ff. de Furtis §. l. i. C. Si quis alteri vel sibi.* Si verò res usuraria sit fructifera, fructuum ex ea perceptorum dominium non acquirunt; quòd hi ad rei dominium pertineant, §. *Si quis à non domino 35. Instit. de Rev. divis.* Si verò eam vendat, licet ejus dominium in emptorem non transferat, *l. Ex empto 11. ff. de Act. empti;* cum enim venditor non fuerit dominus rei, invitò dominò, ejus dominium non potuit transferre: sed id remanet penes dominum, qui ubicunque eam invenerit, rei vindicatione repetere potest: venditor tamen evadit dominus pretii, ab emptore ejus domino, pro ea accepti; ac proinde etiam rerum, quas eò pretiò postea comparavit; quia rei usurariã pretium non est usurarium, sicut pretium rei furtivã non furtivum, §. *7. cit. Azor p. 3. Instit. Lib. 5. cap. 12. & cit. Molina disp. 327. n. 7.* rectè monens, hoc casu venditorem emptori teneri de evictione, & de omnibus damnis, quæ ex evictione sequuntur.
97. Dubium tertio est, an ad restitutionem etiam obligetur usurarius solùm

mentalis. Ratio dubitandi desumitur à paritate Simonia: quæ, si mentalis tantùm sit, solã pœnitentiã sine obligatione restituendi expiatur, *6. fin. de Simonia, S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6.* & alii tam TT. quàm Canonistæ apud Barbosam *n. 3.*

Sed, quidquid sit de Simonia, usurarium solùm mentalem, quando ultra sortem aliquid accepit à mutuuario, non animò donandi, sed, ut plerumque contingit, quasi vi mutui debitum solvete, ad restitutionem in conscientia obligari, *Consultat 10.* est expressum. Ratio, cur non idem statutum de hujusmodi Simonia, est; quia in ista, qui pro spirituali nullo pacto interveniente offert temporale, id facere præsumitur gratuito, & non quasi ex debito & necessitate: quò modò oblatum etiam animò pravò accipiens, non offerenti, sed rei tantùm sacræ, eam indignè & sacrilegè tractandò, injuriam facit. In usura autem mentali injuria fit mutuuario, qui, quòd ultra sortem dat, plerumque non sponte, sed cogente necessitate & quasi ex justitia debitum solvit; ac proinde injuriam patitur, Covarruvias in *Reg. Peccatum. p. 2. pr. n. 4.* Felician. de Solis *Lib. 1. de Censibus, cap. 5. n. 13.* Rodericus *Lib. 1. de Reddit. annuis q. 3. n. 23.* & Barbosa in *c. cit. n. 4.*

Si asseras, idem evenire posse in Simonia mentali, quando v. g. clericus ob inopiam non habens, unde stabiliter vivat, pro beneficio, quod à collatore vel patrono non nisi pro re temporali obtineri posse, advertit, pecuniam offert: satis expedita responsio est, perinde ut usurarium mentalem, etiam hujusmodi collatorem vel patronum, tanquam mentales Simoniacos, ad restitutionem ejus, quod acceperunt, obligari: sicut contrà ad eam non obligaretur mentalis usurarius, si, quod accepit, à mutuuario merè gratuito, liberaliter, & non quasi debitum fuisset obla-

set oblatum, Suarez *de Simonia cap. 59. n. 52.* & Gonzalez *in c. fin. cit. de Simonia, n. 14.*

99. Dubium quartò est, an restitutio etiam incumbat Judæis. Ratio dubitandi est; quòd *c. Quanto 18.* ad graves & immoderatas usuras restituendas compelli jubeantur. Unde argumentò à contrario deductò non compellendi, nec adstringi videntur ad restituendas moderatas. Sed perperam; cùm etiam ad harum restitutionem, licet ad vitanda graviora incommoda aliquando non compellantur, perinde ut Christianos, etiam Judæos obligari, non obscurè *c. Post miserabilem 12.* traditum sit ab Innocentio III. ipsos ad usuras Christianis remittendas compelli, jubente absolute & indiscriminatim. Ratio est; quia, quidquid fortem excedit, vi mutui injustè exigitur ac detinetur; atque idcirco immoderatum, & obnoxium est restitutioni, Hostiens. *in c. Quanto cit. V. Immoderatas, & Canisius de Usuris, cap. 7. num. 4.*

100. Non obstat, quòd Judæi non sint subditi Ecclesiæ; quia imprimis usuras injustè acceptas restituendi obligatio est Juris naturalis, juxta dicta *à n. 91.* Deinde; quia, licet inter infideles degentes Ecclesiæ subditi non sint, casu tamen, quò in territorio Ecclesiæ temporali vel aliorum Principum Christianorum provinciis verum aut quasi domicilium habent, istorum & ipsius etiam Papæ temporali jurisdictioni subjiciuntur; ut ipsis usurarum exercitium prohiberi & remissio restitutioneque imperari: imò Christianis etiam Principibus, in quorum territoriis degunt, præcipi valeat; ne tolerent injustitias & injurias, quas Judæi inferunt Christianis, Glossa *in c. Post miserabile cit. V. Principes, ubi Vivianus & Barb. à n. 5.*

101. Dubium quintò est de hæredibus usurariorum. Quos, sive sui, sive extranei

sint, ad restitutionem, saltè juxta vires hæreditatis; ne alienò scelere ditescant, teneri & compellendos, disertè traditur *c. Tua nos 9.*

Eosdem etiam ultra istius vires, ac proinde, deficientibus bonis à defuncto usurario relictis, ex proprio patrimonio de Jure saltè Canonico teneri, ex *c. cit. c. fin. de Sepult. & c. In literis 5. de Raptor.* desumit Covarruvias *cit. cap. 3. n. 7.* Sed verius Zæsius *l. cit. n. 26.* & Haunold, *102 Tom. 3. de J. & J. Tract. 9. n. 461.* ut aliorum defunctorum hæredes, sic etiam ipsos ultra vires hæreditatis in foro quidem externo non teneri, si inventarium confecerint: in foro autem Conscientiæ interno etiam, quando, isto non confectò, hæreditatem adjerunt. Rationem reddunt; quòd ex una, hæredes usurariorum quoad hoc deterioris conditionis quàm aliorum defunctorum non sint, spectatò Jure Civili: ex altera verò parte, inter hoc & Canonicum Jus differentia aliqua non eruatur ex *cc. cit. c. fin. cit.* ne verbo quidem mentio fiat de usuris, aut de satisfactione pro ullo alio crimine facienda ultra vires hæreditatis. Pari modo *c. In literis cit.* nihil de usurariis in specie; sed generaliter de eo, qui aliis injuriam cum damno intulit, asseritur, hæredes ipsius *juxta facultates suas*, hoc est, defuncti, Glossa *ibi V. Facultates*, satisfacere compellendos. Cujus ratio redditur; ut sic à peccato valeant liberari: ad quòd solum exigitur, ut in restitutionem relictæ facultates impendantur. Similiter *c. Tua cit.* usurariorum hæredes ad usuras restituendas obligari dicuntur, sicut eorum parentes: qui non obligabantur ultra facultates hæredibus relictas, Haunold, *à n. 462.*

Dubium sextò est, an plurium hære. *103* dum, inter quos hæreditas divisa est, unò deficiente, ad usurarum restitutionem ceteri, & aliis deficientibus, unus in solidum teneatur.

tenentur. Quod cum Glossa in c. Tua nos cit. v. Cogendi, affirmant Navarrus Manual. cap. 17. n. 278. Salas Traët. de Usuris, cap. 43. & alii præsertim VV. in eam rem allegantes c. cit. Verba, Filij ad restituendas usuras eâ sunt districtione cogendi, quâ parentes sui, si viverent, cogerentur. Unde, sicut hos, sic & ipsos ad restitutionem in solidum teneri, inferunt; cum favore animæ defuncti, quæ, plenâ restitutione factâ, certius & citius à peccatis liberatur: tum verò; ne bona iniquè parta hæredibus profint.

Verifimilius tamen cum Sylvestro V. Usura 6. q. 10. d. 2. & Cajetano Tom. 2. Opusc. traët. 8. cap. 5. id negant citr. Azor Lib. 5. cap. 17. q. 11. Molina disp. 332. n. 4. Lessius cap. 20. n. 175. Haunold. n. 464. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 111. Ratio est; quòd ex communi Juris Regula in divisione hæreditatis inter hæredes, sicut bona relicta à defuncto pro rata seu portione hæreditatis, sic etiam personales ejus obligationes ac debita dividantur; ut, sicut partem duntaxat percipiunt commodi & bonorum, sic etiam partem duntaxat sentiant incommodi sive onerum hæreditariorum, nisi aliud jure sit expressum: singulos autem hæredes in solidum teneri ullo jure expressum non sit; cum ex c. Tua nos cit. dispositione usuras, defuncti instar, in solidum restituere, illiusque animam plenè exonerare teneantur hæredes simul sumpti; ac proinde singuli pro rata portionis, quæ ipsos contingit, & in qua sola defunctum repræsentant: non autem in defectum aliorum, & pro rata portionis alios, non ipsos, contingentis; cum in hac defunctum ipsi non repræsentent: neque, si huic respondentem Usurarum portionem non solvant, inique parta ipsis profint.

104. Multò minùs in defectum hæredum ad usuraria & alia defuncti debita tenen-

tur legatarii casu, quòd hæredes ad eorum solutionem, cum potentes essent, quavis ex causa redduntur impotentes; cum personalia defuncti debita non transeant ad ipsos, sed ad hæredes, l. Hæreditas 62. ff. de R. J. citr. Lessius n. 176. & Molina n. 4.

Excipiunt tamen DD. citr. calum, quòd res aliqua usuraria in specie extaret; quia talis à quovis ejus possessore, etiam legatario & mortis causâ donatario, domino suo utique est restituenda: uti & casum, quò ante divisionem hæreditatis hæredum culpâ factum est, quò minùs usuræ restituerentur; tales enim ad illarum restitutionem in solidum ex proprio suo delicto teneri, probè advertit Lugo de J. & J. disp. 25. n. 237.

### ARTICULUS VIII.

## De Usurariorum Pœnis & Judice.

### SUMMARIUM.

106. Pœna Usurarum serè criminis notarietatem,
107. Et sententiam judicis declaratoriam exigunt:
108. Suntque Insania:
109. Sacramentorum & sacra Sepultura negatio recusatioque Oblationum:
110. Irregularitas & Ecclesiastica Censura:
111. Instabilitas activa,
112. Et amissio sortis vel istius partis,
113. Usurarum crimen Mixti Fori est:
114. Etiam si Juris questio in judicium deducatur.
115. An contractus Usurarius sit, Legalis sanctione Ecclesia definit.

Kk

Præter



106. **P**raeter obligationem restituendi, quæ Juris est Naturalis, variæ pœnæ in usurarios constitutæ sunt Jure Civili, præsertim recentiori, & Ecclesiasticò: quas tamen ferè ab usurariis tantùm manifestis contrahi, cum Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 334. n. 1.* observat Haunold, *Tom. 3. de J. & J. Tract. 9. n. 467.*

Manifestus autem sive notorius usurarius esse potest Juris aut Facti notorietate. Priori manifestus usurarius est non solum is, qui tanquam usurarius condemnatus: sed is etiam, qui sub usuris mutuum frequenter à se datum confessus in judicio, vel de usurarum exercitio legitimi testimonii, vel exhibitio rationum libro, aut aliis indicis & argumentis est convictus. Posteriori notorietate & evidentiâ facti is, qui sub usuris mutuum publicè sive in omnium conspectu, vel etiam domi suæ quibusvis ad se accedentibus assiduè & frequenter dedit, ut de hoc publicè constat, Sylvester *V. Usura 9. q. 1.*

107. Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 3. n. 4.* & Menoch. *de Arbitr. casu 235. an. 9.* rectè monentes; ut quis pœnis usurariis à Jure impositis afficiatur, judicis, cum notorium usurarium declarantis, sententiam considerari; cum *arg. c. Cum secundum leges 19. de Heretic. in 6.* tum verò; quòd propter varium ac speciosum interesse adinventum, usuraria iniquitas adeò facillè declinetur aut pallietur; ut eam semel iterumque exercuisse, ne dicam, frequentasse, raro aliquis convincatur.

108. Porro Usurarii manifesti pœna Prima est Infamia, *l. Improbum 20. C. Ex quib. caus. infam. irrog. §. Porro, post can. Infames 3. q. 7. & c. Inter dilectos 11. de Excess. Pralat. ubi Panormit. n. 1. & Barbosa n. 6.* Eam tamen, si usurarii respiciant, & usuras restituant, ex æquitate saltem Canonica cessare, cum Baldo *in l.*

*Cassius 17. in fine. ff. de Solutionibus & Felino in c. 1. de Probat. n. 19.* docet Salas *de Usuris dub. 47. n. 1.*

Secunda, Negatio absolutionis Sacramentalis & Communionis Altaris, Sepultura Ecclesiastica privatio & recusatio Oblationum, earum saltem, quæ inter Misfarum solennia fiunt: nisi penitens profacultatum suarum possibilitate usuras restituerit, vel de restituendis præstiterit cautionem, ex decreto Concilii Lateranensis, relatò *c. Quia in omnibus 3. ubi Panormit. à n. 1. Sylvester V. Usura 9. q. 4. & Molina cit. disp. 334. n. 3.*

Tertia, Irregularitas, vi cuius à Sacrorum Ordinum receptione usurarii remouentur, *can. Maritum 2. dist. 33. & can. Seditiosarios 8. dist. 46.* nec ad beneficia vel officia Ecclesiastica admittuntur, *can. Petro 4. dist. 47. & c. Inter dilectos cit. uti & Suspendio, & si ea non proficiat; depositio à beneficio & officio legitime obtento, iisdem usurariis, si clerici: si verò laici sint, excommunicatio per sententiam infligenda, can. Si quis 5. dist. 47. c. 1. & c. Præterea 7. hic. Hostiens. in Summa n. 10. cit. Covarr. n. 3. Molina n. 2. & Palao *Tract. 32. disp. 5. p. 30. n. 4.**

Quarta, Intellectibilitas activa de bonis suis; ut usurariorum testamenta, alique voluntates ultimæ validæ non sint, iisque interesse nemini liceat: nisi prius usuras restituerint, vel de restituendis idoneam, id est, pignoratitiam, fidejussoriam, vel si talem ob temporis angustias non possint, saltem juratoriam præstiterint cautionem, *c. Quamquam 2. in 6. Sylvester V. Restitutio 6. q. 1. Navarrus Manual. cap. 17. n. 280. & Covarr. cit. cap. 3. n. 6.*

Quinta, Amissio alicubi totius fortis, imò istius duplicatæ, quæ in Hispania ex *Lege Regia Lib. 8. tit. 6. cit. Palao Tract. 32. disp. 4. p. 30. n. 14.* alibi quartæ partis illius,

tis illius, quæ cum usuris ex ea perceptis in Imperio Romano, vigore *Constitutionum* Maximiliani I. 1500. Caroli V. 1548. Augustæ & Rudolphi II. 1577. Francofurti editarum & promulgatarum, fisco cedit, Gaill. *Prætic. Lib. 2. Observat. 5. n. 6.* & Canisius *de Usuris cap. 9. n. 5.*

**113.** Superest dubium de iudice criminis Usurarum. In quo, si Jus liquidum, & de facto duntaxat quæstio sit, usurarum causam mixti fori esse; ac proinde cognitionem Seculari quoque iudici competere, satis convenit inter DD. Controversia autem inter eos est, an cognitio huic etiam competat, cum quæstio est de Jure, v.g. an contractus, quem celebratum esse, constat, usurarius sit, vel non. Hujusmodi enim cognitionem soli Ecclesiastico competere, cum Glossa in *c. Cùm sit 8. V. Malefactorum, de Foro compet. voluit* Clarus §. *Usura, n. 8.* & Azor p. 3. *Instit. lib. 5. de Usura, cap. 18. pr.* Moventur partim *c. Quoniam 2. §. c. Præterea 7.* quò textu utròque in laicos, hujusmodi criminis reos, ditricione Ecclesiasticâ procedendum & excommunicationis sententia dicitur ferenda: & *Clement. 2. de Judiciis*, causam usurarum Ecclesiasticis accensente: partim rationes; quòd in ejus modi quæstione Juris agatur de peccato: cognoscere autem, an actus peccaminosus sit, ad solius Ecclesiæ iudicium pertineat, *c. Novit 13. V. Non enim, de Judiciis §. c. Per venerabilem 13. §. Nam si, V. Rationibus igitur, Qui filij legitimi.*

**114.** Dissentit Covarruvias *cit. cap. 3. n. 1.* Menoch. *de Arbitr. jud. casu 398. n. 4.* Farinac. *Prax Criminal. q. 8. n. 140.* & alii, quorum sententiam verissimam, ait Canisius *de Usuris, cap. 9. n. 4.* & cum iis hujusmodi etiam causæ cognitionem esse mixti fori, & tam Seculari quàm Ecclesiastico iudici competere, defendit. Nituntur etiam ipsi iure & ratione, Jure quidem;

quòd talem cognitionem non solum nupiam vendicet Ecclesiastico: sed Principi & Curie seculari diserte, inter Juris & Facti quæstionem non distinguendò, permittat *c. Post miserabilem 12.* Ratione verò; quòd crimen hoc adverteretur Juri Naturali: & quantumvis Ecclesiasticis etiam sanctionibus prohibitum sit, in se tamen plus spiritualitatis non contineat, quàm homicidium, furtum, adulterium & cætera crimina, quæ Justitiæ & Naturalis juris præceptis adversantur: quorum coërcitionem & causarum super iis in iudicium deductarum cognitionem Seculari quoque iudici competere, res est apud omnes explorata.

Confirmatur; quia, quòd Usurarij criminis cognitio Ecclesiastico iudici de facto competat, post sacris Canones præcipuè habetur à consuetudine, eam huic tribuente & stabiliente; quòd à SS. Canonibus usuræ interdicitæ, & correctæ sint leges Civiles, si quæ eas permiserunt aut tolerarunt. Cùm ergo usuræ hodiè sanctionibus etiam Imperialibus & Regiis passim reprobata: & super iis ortæ controversiæ quæcunque ex consuetudine in foro Seculari secundum sanctiones Imperiales modernas cum sacris Canonibus satis conspirantes, tractari passim soleant ac definiti, non est, cur ejusmodi cognitionem huic etiam foro competere, inficiemur, extra casum, quò an pactio vel contractus aliquis usurarius aut aliàs injustus & peccaminosus sit, vel non sit, perpetuà & Legali sanctione esset definiendum: quem meritò excipit *cit. Palao p. 28. n. 4.* & suadet ratio; quia doctrinam, fidelium mores spectantem, firmiter declarare, soli Papæ concessum est à Christo Verbis, *Pasce oves meas*, Joan. *cap. 21. v. 18.* & extra loca, in quib⁹ usuræ à sacris Canonibus damnata, prophanis legibus non prohibentur, aut à Seculari potestate non coërcentur; nam

K k 2 etiam

etiam in his &, ubi consuetudo eam Seculari Curia ademit, causarum usurariorum cognitionem soli iudici Ecclesiastico competere, Lugo *Tom. 2. de J. & J. disp. 25. n. 250.* observat.

Neque, extra hunc casum & loca, contra Secularem potestatem allata, admodum urgent textus; quia, licet ex iis rectè inferatur, crimen hoc non esse foritantum Secularis: & excommunicationem in usurarios à solo iudice Ecclesiastico ferri posse: non tamen inferitur, usuras esse crimen merè Ecclesiasticum, ut de iis cognosci, eisque poenæ decerni neque-

ant à iudice Seculari, contra *e.* *Post miserabilem cit. textum.* Ratio autem; quia, licet, eum de peccato controversia est, generali & legali definitione aliquid decernere ac definire solius Ecclesiastici sit: in casu tamen particulari, an hic vel ille contractus iniustus &, sicut sacris Canonibus, sic Constitutionibus quoque Imperialibus, usuras damnantibus, contrarius sit, non apparet, cur cognoscere ac pronuntiare nequeat curia Secularis, ut cum *cit.* Covarruvia *n. 4.* Emanuele Saà *de Usuris n. 4.* & Salas *de Usur. d. d. 45. n. 2.* docet *cit.* Palao *p. 28. n. 4.*



## TITVLVS XX.

### De Crimine Falsi.

#### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Ratio Ordinis.                                     | 14. Et ille in loco non suspecto,                              |
| 2. Falsò veritas dolosè ac prajudiciosè immutatur,    | 15. Ab alio, quàm Curia officiali, sine rase,                  |
| 3. Dictò, Scriptò, Factò vel Usu.                     | 16. Et mutatio sit secundùm mentem Papa.                       |
| 4. Falsus testis Deum, iudicem & proximum ledit.      | 17. Factò falsum committitur diversimodè,                      |
| 5. Pena in eum Civili,                                | 18. Et perniciosissimè à falsariis monetur:                    |
| 6. Et Canonico Jure constituta.                       | 19. Quorum severissima animadversio est.                       |
| 7. Pena Advocati pro dantis causam sui clientis,      | 20. Verita est confessio pecunie ex auro Alchimistico,         |
| 8. Et Judicis, scienter injustam sententiam ferentis. | 21. Et istius artis exercitulum.                               |
| 9. Scriptò Falsum variè committitur,                  | 22. Falsi rei sunt, qui alieno nomine, insignibus &c. utuntur: |
| 10. Praesertim falsatione literarum Apostolicarum,    | 23. Et pecuniam adulterinam expendant:                         |
| 11. Sive ha Gratia, sive Justitia sint.               | 24. Nisi ignorantia defendantur.                               |
| 12. Quae gravissimè poenae obnoxia est,               |  |
| 13. Licet falsatio nemini sit damnosa:                |  |

Similli-